JOSEPHI HABERMANN
AUSTRIACI VIENNENSIS

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE

SALUBRI SEPULTURA,

QUAM
AUTHORITATE, ET CONSENSU
ILLUSTRISSIMORUM, PERILLUSTRIUM,
MAGNIFICORUM, SPECTABILIUM,
CLARISSIMORUM VIRORUM,
PERILLUSTRIS, MAGNIFICI, AC CLARISSIMI
DOMINI
UNIVERSITATIS RECTORIS,
REVERENDISSIMI, ILLUSTRISSIMI, AC AMPLISSIMI
DOMINI
UNIVERSITATIS CANCELLARII,
ILLUSTRISSIMI, MAGNIFICI, AC CLARISSIMI
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ
DOMINI PRÆSIDIS,
PERILLUSTRIS, AC MAGNIFICI
INCLYTÆ EJUSDEM FACULTATIS
DOMINI VICE-PRÆSIDIS,
PERILLUSTRIS, AC SPECTABILIS
INCLYTÆ EJUSDEM FACULTATIS
DOMINI DECANI,
DD. SACRÆ CÆSAREO-REGIÆ APOST. MAJESTATIS
CONSILIARIORUM, AC ARCHIATRORUM,
NEC NON
CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM,
Venerabilis Domini Senioris, atque totius Amplissimi
DD. MEDICORUM COLLEGII,
Pro supremis in Medicina Honoribus, & Privilegiis
Doctoralibus legitime obtinendis.
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT.
DISPUTABITUR IN PALATIO UNIVERSITATIS
Die XVIII Mensis Martii, Anno M. DCC. LXXII.

VINDOBONÆ,
E TYPOGRAPHEO KALIWODIANO.

PARENTI LONGE OPTIMO

IOSEPHO HABERMANN,

AA. LL. PHILOS. ET MEDICINÆ

DOCTORI,

SAC. CÆS. REG. MAJESTATIS

AULÆ MEDICO,

NEC NON

INCLYTÆ FACULTATIS

MEDICÆ

P. T.

DECANO SPECTABILI

LONGÆVITATEM.

OPTIME PATER!

Jam pridem luculentum aliquod meæ in TE *pietatis ſpecimen exhibituro nulla ſeſe obtulit opportunior occaſio, quam hæc ipſa, qua haſce qualesquales laborum meorum primitias ſuaviſſimo* PATRIS *Nomini ſacras inſcribo.* TU *quidem diu iſtud filialis erga* TE *amo-*

ris, atque obſervantiæ monumentum recuſaviſti, ſed tandem officioſum filii deſiderium PARENTIS *a publica laude alieniſſimi modeſtiam ſuperavit. Haud ego hic innumerabilia, quæ in hunc usque diem a* PATERNÆ *caritatis, atque ſolicitudinis fontibus plenis*

in

in me fluminibus redundaverunt, beneficia palam prædicabo; sed illud unicum in medium proferam: Me, quemadmodum mihi magnum illud Juris Divini Præceptum: HONORA PARENTES, *sanctum semper, atque inviolabile fuit, ita jam non exigua illius*

 præ-

præmii, quod hujus Legis observatoribus promissum fuit, parte frui, dum mihi rara prorsus, ac jucundissima felicitate contigit, ut non solum TIBI, *ceu* PATRI INDULGENTISSIMO *publice gratias agere, sed etiam ut* TUO *sub Decanatu & hanc ipsam glo-*

riæ

riæ Cathedram hodierna luce conſcendere, & pro ſummis in Medicina honoribus, atque privilegiis ſecundum almæ Univerſitatis noſtræ inſtitutum inauguralem hanc Diſſertationem propugnare, & demum ſuprema Doctoratus Laurea condecorari conceſſum ſit.

Vi-

Vive diu incolumis, VIR SPECTABILIS, PARENS LONGE OPTIME! *vive*, & *vale*, *atque* PATERNO *amore proſequere devotiſſimum* TIBI *filium*

JOSEPHUM HABERMANN.

PROOEMIUM.

Cum animalem, cadaverosam cumprimis, exhalationem, toties subito deleteriam, putridissimorum non infrequenter, & malignorum morborum fœcundam genitricem, semper vero clanculum saltem, instar lenti, ac subdoli veneni, sanitati, vitæque nostræ vel maxime inimicam, & legissem sæpius, & audivissem, dignam sane illam, quæ aliquando Inaugurali Dissertationi materiam præberet, jam pridem judicabam. At vero posteaquam hac de re tot ante me Clarissimi Viri, quorum immortalia nomina (§. LXXXVII.) citavi, & erudite, & eleganter, & solide disputassent, fateor, me mutato consilio, aliud, in quo laborum meorum primitias collocarem, argumentum quæsivisse. Sed ecce! XIV. Calend. Mar-

tias 1771. AUGUSTISSIMA MARIA THERESIA, *materna, qua populorum suorum salutem complectitur, solicitudine ducta, Excelso inferioris Austriæ Regimini mandavit, ut, rogata, amplissimi illius Collegii, cui tuendæ civium sanitatis provincia demandata est, tum ipsorum quoque Parochorum sententia, de promiscua illa, & hactenus usu recepta intra civitatem, & in templis sepultura vel immutanda, vel abroganda deliberaret, & quid deinceps facto opus sit, referret. Quod Clementissimum* OPTIMÆ PRINCIPIS *mandatum fecit, ut denuo ad propositum meum redirem, sed ita, ut non solum de noxis cadaverosæ exhalationis simpliciter scriberem, quemadmodum olim constitui, sed & de cadaveribus ipsis meliore vel modo, vel loco sepeliendis agerem, præsentemque Dissertationem, quæ magis esset ad* AUGUSTÆ *mentem accommodata, de salubri Sepultura adornarem. Ex qua si quid in Rempublicam emolumenti redundaverit, beatum me, dum vivam, existumabo.*

PRI-

PRIMÆ LINEÆ DISSERTATIONIS.

Aer nuspiam puriſſimus (I.). Cauſæ (II.). Atmoſphæræ Vienneniſis inquinamenta conſiderantur (III—XVI.); imprimis cadaveroſa exhalatio (XVII—XXV.). Hæc ipſa fuit, quæ cadavera movere coegit (XXVI.). Varii movendi, ſive ſepeliendi ritus (XXVII—XXXIV.); præcipue humatio (XXXIV—XXXVI.), eaque vel compoſita (XXXVII—XLI.), vel ſimplex (XLI—XLIII.). Anacephalœoſis (XLIV.). Synopſis dicendorum (XLV.). Optimus ſepeliendi ritus determinatur (XLVI—LI.). Variæ antiquorum ſepeliendi rationes (LII—LVII.).

De ſepulcrorum contemptu (LVIII.), ſanctitate, ac religione (LIX—LXIV.), locis extra urbes (LXV—LXXII.). Rationes veterum extra mœnia ſepeliendi (LXXIII—LXXV.). De urbanis ſepulcris, atque de promiſcuæ in templis ſepulturæ, & cœmeteriorum noſtrorum origine (LXXVI—LXXXVI.). Mos hic peſſimus demonſtratur (LXXXVII—CXI.). Quinam in templis ſepeliendi, & quo modo (CXII. CXIII.): qui extra civitatem, quo loco, & modo (CXIV—CXVII.). Quæ præterea in ſcopum ſalubris Sepulturæ collimant (CXVIII.).

§. I.

§. I.

Aerem, cui e globi terraquei ſuperficie admixtum ſit nihil, adeo nuspiam locorum inveneris, ut auram puriſſimam mente quidem concipere liceat, haurire non liceat. Dum itaque de aere puro, & ſereno, qualis ille campeſtris, aut in ſummis montium, a lacubus, & fluminibus diſſitorum, cacuminibus, a ventis, poſt deciduas imprimis pluvias, difflatus, medici loquuntur, haud ita intelligendum eſt, ac ſi eidem nihil prorſus alieni ineſſet. Inſunt certe illi quoque auræ, qua felix fruitur agricola, non pauca heterogenea corpuſcula, ſed quæ cum iis, quæ atmoſphæram locorum humilium, paluſtrium, maritimorum, & magnarum præcipue, populoſarumque civitatum inquinant, nec quantitate poſſint, nec qualitate conferri.

§. II.

Cauſæ vero, quæ corpuſculorum heterogeneorum (I.) vim propemodum infinitam in ampliſſimum circumfuſæ atmoſphæræ gremium attollunt, ſunt cumprimis aeris gravitas ſpecifica, & motus. De attractione, quæ forte aerem inter, & aquam arctiore quodam vinculo intercedit, non tam litem movemus, quam ſuſpicionem. Quamobrem de hac ipſa nihil dicemus amplius, duabus illis, quas propoſuimus, cauſis contenti. Gravitas aeris ſpecifica evehit, premendoque in ſublime extrudit ſubtiliſſima, leviſſimaque corporum effluvia, quæ vaporum, halituum, exhalationum nomine adpellantur. Motum aeris, quantum quidem ad propoſitum noſtrum intereſt, duplicem conſideramus: vel minus ſenſibilem, ab ignearum particularum perturbato motu, unde & calorem phyſici derivarunt, concitatum; vel vehementem illum, & cum manifeſto impetitu agentem, quo aer in fluxum deducitur, & varia, eaque vel ſimplici, vel compoſita directione impulſus, graviores etiam particulas, proprio ceteroquin pondere quieturas, ſede motas abripit, & ſus deque delatas ſibi commiſcet.

§. III.

His principiis (I. II.) univerſim delibatis, ut illo, qui juſtus eſt, ordine progrediamur, primo varias nocentium exhalationum ſpecies,

quæ ab incumbentis aeris pressione dependent, succincto calamo persequemur: deinde ea, quæ duplici illo motu, sed præcipue vento elevantur, subjiciemus. Cadaverosam exhalationem, quia præ ceteris differendi ansam dedit, seorsim enucleatius expendemus, cui tanquam fundamento universi, quod molimur, operis ædificium insistet. Quamvis autem MARIÆ THERESIÆ AUGUSTISSIMÆ regnantis providentia omnium, quotquot clementissimo ejus, justissimoque Imperio subjiciuntur, populorum felicitatem respiciat, & nos quoque votis omnibus expetamus, ut opus nostrum non solum nobilissimæ huic, Germaniæ principi, civitati, sed urbibus, sed provinciis omnibus, sed universo generi humano utilitatis plurimum adferat, tamen ne in tædiosam, ac minus forte utilem generis prolixitatem incidamus, de Viennensis præsertim atmosphæræ inquinamentis, & de salubri illa, quæ hanc præ ceteris urbem, in qua nati, atque enutriti sumus, concernit, sepultura sermonem instituemus.

§. IV.

Ut igitur ab exhalationibus (III.) exordium capiamus, inter has primo loco veniunt noxia aquarum stagnantium effluvia. Illustrium, & incolarum quondam multitudine florentissimarum urbium luctuosissimæ clades, a male olentibus, ac pestiferis paludum effluviis illatæ, passim apud historicos occurrunt. Hac peste vexata Selenis,

quam Empedocles ſuſtulit teſte Plutarcho, dum continuum aquis putridis defluxum conciliavit (*a*). Aquileja, inter celeberrimas olim Italiæ civitates numerata, vix noſtro ævo ædificiorum rudera, & veteris fortunæ veſtigia retinet, nullis aliis armis magis, quam aere, ex aquis ſtagnantibus corrupto, everſa. Cui plurium in Italia urbium, quæ a ſolis paludibus vaſtatæ ſunt, ruinas proſequi lubet, is ſummorum Pontif. Innoc. & Clementis XI. Archiatrum Illuſtrem Mariam Lanciſium adeat, qui primus omnium de noxiis paludum effluviis, eorumque remediis erudite, eleganterque diſſeruit (*b*).

§. V.

Viennam quod attinet, non ad ſtagna illa quidem, quæ vel ampla ſint, vel perpetua, ſed ad ripas Danubii ſita eſt, qui univerſim curſu ſatis citato immenſam aquarum molem volvit. Interea tamen non deſunt etiam Viennæ loca paluſtria, vel ſaltem, in quibus aquæ longiores ſubinde, priusquam defluant, moras trahunt. Præſertim vero urbs ipſa, qua parte orientem ſpectat, & ſeptentrionem, magnam non infrequenter aquarum copiam ſuis ſub mœnibus habet, quæ Danubio a verna nivium colliquatione, vel a diuturnis, copioſisque pluviis exundante,

per

(*a*) Celeber. Crantz Tom. 3. Mat. Med. pag. 137.
(*b*) Libris duobus, qui prodierunt Coloniæ Allobrogum 1718.

per plures quandoque menſes immotæ manent, & ſtagnando computreſcunt. Atque ut eorum ſolummodo, quorum recentiſſima viget apud omnes memoria, mentionem faciamus, anno 1770, quo vel maxime in aquarum regno miræ, atque inauditæ viciſſitudines contigerunt, tota ferme æſtate, quemadmodum flumina nobiliora omnia, ita Danubius quoque ingente, ac perpetua exundatione in accolarum & fortunas, & ſanitatem graſſabatur. Quamobrem Viennenſis etiam atmoſphæra ab aquarum ſub mœnibus corruptela non mediocrem labem ſuſcepiſſe putanda eſt. Idem vere ſubſequo evenit, licet æſtas anni 1771. multo ſiccior fuerit æſtate præcedente.

§. VI.

Ex his ipſis aquarum pone ripas Danubii variis in locis egreſſarum, & putreſcentium (V.) halitibus autumno anni 1770, & vere ſequente ingens febrium putridarum cohors enata videtur, ſiquidem omnes Danubio vicini pagi, & Viennæ illa pars, quæ huic fluvio propior adjacet, præſertim ſuburbium Divi Leopoldi, hoc morborum genere potiſſimum affligebantur.

§. VII.

Sed & amnis, a quo Vienna nomen accepit, inops ceterum, & piger, per vices inſigni aquarum incremento ea, per quæ decurrit, ſubur-

urbana inundat, mox iterum ad priorem inopiam, pigritiamque redactus; quo fit, ut ad utramque ripam, & in cellis vicinarum domuum exundantium aquarum reliquiæ æstivo præsertim tempore opportunissimum, in quo putrescant, territorium nanciscantur. Demum ea Danubii pars, quæ majorum nostrorum opera a fluminis trunco avulsa in publicam civium utilitatem pone urbem defluere coacta traditur, dum diuturna aeris siccitas incidit, vix fundo alvei expleto, lentas admodum undas vehit, & majorem forte, quam hactenus existumatum est, nocentium effluviorum quantitatem in auras dimittit.

§. VIII.

Licet vero Viennensis atmosphæra, nec perpetuis, nec copiosis, nec adeo per omnia diffusis paludum effluviis (V. VI. VII.) inquinetur, aquosis tamen, quos ingens Danubius subministrat, vaporibus multo magis, frequentiusque humectatur. Unde fit, ut non raro universa late civitas humida nebularum caligine quasi consepulta videatur. Hæc aëris humiditas, licet quidem, si simplex sit, lethifera dici non possit, tamen, quatenus fibram nimium laxat, & sanctorianam inhibet perspirationem, iis omnibus, quibus contra humidum frigus præsidia deficiunt, variorum morborum causa existit. Quantum vero humida atmosphæra febribus cum aliis, tum præcipue intermittentibus, producendis faveat,

veat, vel inde liquet, quod ii omnes, qui prope lacus, & flumina habitant, cœloque humidiore, & a ventis borealibus rarius perflato fruuntur, crebro admodum febricitent.

§. IX.

Hactenus de aquarum tum putridis (IV. V. VI. VII.), tum simplicibus (VIII.) exhalationibus. Has carbonum in locis clausis accensorum vapor consequitur. Hic vero an per se nocivus sit, an quatenus aëris elasticitatem destruit, nondum huc usque decisum est. Sufficit effectus inde funestos observari. Magna quotidie carbonum copia in urbem convehitur. His non solum opifices suis in officinis utuntur, sed cives etiam multi cum in culinis, tum in furnis ex ferro conflatis. Quid quod passim vivos carbones, priusquam in cineres collabantur, extinguant futuros in usus adservantes? Vapor carbonum oppressionem pectoris, capitis obtusum dolorem inducit, mentem captivat, & nisi maturum adsit auxilium, congesto intra pulmones sanguine suffocat. Quæ autem hoc in casu conveniunt, a Celeberrimo CRANTZ proponuntur (*c*).

§. X.

Sed & ille vinorum fermentantium halitus, gas sylvestre Helmontio dictus, in consideratio-nem

(*c*) Opere citato. pag. 132.

nem vocandus eſt. Quemadmodum urbs noſtra omnium gentium, ita cellaria propemodum innumera, atque profundiſſima omnium quaſi vinorum ſunt emporium. Adeſt autem tanta Viennæ vini copia, ut in proverbium abierit: in urbe plus vini, quam aquæ contineri. Id quod ſuo ſenſu veriſſimum eſt. Si vero heteroclitus hic, nec coercendus ſpiritus menſibus Octobri, & Novembri de ingenti copia fermentantis liquidi, per exiguum in vaſe ſpiramentum imprudentius hauſtus, uno ſæpe ictu exanimat, ſin minus fortiter afficiat, apoplexiam ſubitaneam, fatuitatem, paralyſin, hemiphlegias, vertiginem, & alia creat mala plurima, quæ quidem omnia triſtiſſimis eventis conſtiterunt (*d*); an non idem hic venenatiſſimæ indolis halitus in apertam egreſſus atmoſphæram ſaltem proxime degentibus nocere, ſi non adeo quidem ſubito, & manifeſte, lente tamen poterit, & obſcure?

§. XI.

Ipſa quoque animalia, ſed cumprimis homines vel ægri, vel magno numero in eodem loco concluſi, ſuis effluviis mutuam ſibi multorum malorum cauſam gignunt. Corporum animalium effluvia admodum eſſe corruptibilia docet aqua balneorum, aliquantulum ſervata, cadaver olens; hæc aërem concluſum corrumpentia

(*d*) BOERHAAV. Op. Chem. Tom. I. de acidis.

tia magis pejorem ei labem conciliant (*e*). Conclusus hic aër, & animali exhalatione gravidus quidni & atmosphæram, in quam continuo elabitur, inquinat? Carcerum aër mortales sæpe produxit ægritudines, ut amplo casu, licet tristi, evincit BACO VERULAMIUS. Sed & aër Xenodochiorum ab omni tempore admodum insalubris deprehensus est; unde varia consilia Xenodochiorum aërem corrigendi proposita sunt; sed & illud præcipue consultum, ut Xenodochia locis apertis, & aëre perflato ædificarentur (*f*). Viennæ magnus adest carcerum, & Xenodochiorum, & domuum militarium numerus, quæ omnia ingente quoque hominum numero sunt repleta. Interea huic inquinamento, satis, quantum fieri potuit, obviam iverunt majores nostri, qui hos carceres, paucis exceptis, & hæc publica ædificia illis omnia locis extruxerunt, quæ a ceterorum consortio remotiora, ventisque quam maxime sunt exposita.

§. XII.

Sed ne singula seorsim pertractando in longius excurrat oratio, paucis reliquas Viennensium exhalationum species attingemus. Huc veniunt: fumus infinitorum propemodum caminorum, vapores tot officinarum, in quibus artifices,

(*e*) CRANTZ Tomo cit. pag. 135.
(*f*) Idem loco citato.

ces, ceterorum civium magno & incommodo, & detrimento per universam urbem dispersi, in omni metallorum, & semimetallorum specie, ignis, & imprimis carbonum adminiculo laborant. Huc stabula, fimeta, sterquilinia, cloacæ subterraneæ raro, & negligentius expurgatæ, lanienæ, & forum illud, in quo omne carnis ferinæ genus vendunt, accensentur, ex quibus omnibus, sed præcipue ex abundante illa carnis ferinæ, sæpius in corruptionem abeuntis copia, multa, & varia subtilia, acria, corrodentia, & diversissimo nocentia modo, in auras ascendunt. Certe plures in aëre, quam forte quisquam hactenus animo complexus est, vitæ, & sanitatis nostræ hostes circumvolant. Nec atmosphæræ ædificiorum recens extructorum oblivisci debemus. Tanta vero, causam dicere non attinet, nostra hac potissimum ætate Viennensium animos incessit ædificandi libido, ut, quocunque convertis oculos, numerosa ubique, & ampla surgere ædificia cernas. Quanta igitur opus est calcis vivæ copia? Ex hac, aqua primum extincta, deinde cum arena in cœmentum redacta, muri extruuntur, hac parietes dealbantur, incrustantur. Jam vero quidquid assumas, sive, quod calx acre aliquid, & causticum, & venenatum, prius ab igne, quo calcareus exustus est, susceptum, expiret, sive quod aërem absorbeat, & elasticum vitæ pabulum consumat, illud, admissa quacunque sententia, verissimum est aërem in cubiculis recentium ædificiorum reclusum non

me-

mediocriter vitiari, id quod & rheumatismi clare commonſtrant, & arthritides, & hemiplegiæ immedicabiles, & alia aliis deſcripta mala plurima (*g*). Illud vero magnopere admirandum eſt, triſtiſſimis his exemplis homines adeo non terreri, ut de conducenda in ædificiis recentiſſime extructis habitatione mutuo quaſi certamine confligant. Quid ſi Dominis certum tempus ſtatueretur, intra quod illi ædificia ſua ab incolis vacua apertis feneſtris ventilare, & lignorum ſiccorum flammis luſtrare deberent? Sic vel nocivum illud, quod ex parietibus calce incruſtatis exhalat, correctum diſſiparetur, vel ſaturata in integrum calce, & difflato, qui deſtructus fuit, aëre, nova iterum, & elaſtica aura inveheretur, quam calx, in calcareum jam mutata, non amplius corrumperet. De halitu fermentantis liquidi, de ædificiis calce recens incruſtatis, & carbonum nidore videſis GERARDUM L. B. VAN SWIETEN (*h*).

§. XIII.

Hactenus (IV—XII.) de iis, quæ ſpecifica atmoſphæræ gravitate (II.) attolluntur. Nunc pauca de motu (II.) videamus. Et ille quidem motus, qui ab igne concitatus citra manifeſtum aëris fluxum in illius quadam quaſi tremula undulatione conſiſtit, eas, quas hactenus enume-

 ra-

(*g*) CRANTZ Tomo cit. pag. 138.
(*h*) In aphoriſm. BOERHAAVII 1010. n. 5.

ravimus, halituum ſpecies non tam numero auget, quam quantitate, ita ut calente atmoſphæra omnia & attenuentur magis, & eleventur copioſius. Si autem atmoſphæra & humida ſimul & calida ſit, tum enimvero exhalationes & copioſiores multo exiſtere neceſſum eſt, & nocentiores.

§. XIV.

Reſtat, ut de motu aëris cum impetu agente, ſive vento (II. III.) dicamus. Venti quidem Viennæ maxima incolarum fortuna & crebrius ſpirant, & ſatis vehementer; quod niſi eſſet ab urbis ſitu, & natura conceſſum, atmoſphæra Viennenſis, & hodie magis, quam olim, non mediocriter venenata exiſteret. Interea ipſi hi aëris purgatores venti ingentem arenæ, & pulviſculorum copiam nubium inſtar ſubinde in altum vehunt, quamque diſpulſis nocivis halitibus auræ conciliant puritatem, eandem variis omnis generis gravioribus particulis, proprio ceteroquin pondere quieturis, diminuunt. Unde oculorum ſiccæ inflammationes, ſed præcipue tuſſes, eæque potiſſimum calidæ exoriuntur; quæ ſi initio neglectæ, aut negligenter, aut præpoſtere tractatæ fuerint, vel diſpnœam, orthopnœam, vel hæmoptoën, peripneumoniam, in hæmophthiſin denique, phthiſinque terminandas inducunt. An non inde tam frequentes, & quaſi endemiæ Viennenſium phthiſes, plerumque tuberculoſæ, poſt

ar-

arteriæ bronchialis inflammationem natæ, quæ expertiſſimis in arte viris crucem figunt?

§. XV.

Quando vero venti moderato ludunt ſpiraculo, tum quidem ſaluberrimi ſunt. Id quod Viennæ non infrequenter contingit; licet etiam non ad modum raro contingat, ut, quod quidem peſſimum eſt, vento prorſus omni careamus. Sed eo ipſo tempore, quo vel jucundo illo, & optatiſſimo zephyrorum beneficio fruimur, vel omni ventorum flamine privamur, tamen perpetua, ac tumultuoſa innumerabilium curruum, animalium, præcipue ovium, boum, equorumque mobilitate aëris, ſuperficiem lambentis, turbatur æquilibrium, unde, quadam quaſi venti artificialis ſpecie excitata, omnes late urbis plateæ, & imprimis viæ Regiæ, per ſuburbana ducentes, copioſa, qua abundant, arena, in ſubtilem pollinem commolita, & in altum elevata replentur.

§. XVI.

Quamobrem optimo patriæ Patri, JOSEPHO II. PRÆGLORIOSISSIMO ROMANORUM IMPERATORI immortales agimus gratias, qui incommodis pulverulentæ atmoſphæræ (XIV. XV.) commotus, ingentem illam, quæ urbem inter, & ſuburbia

cer-

cernitur, planitiem a promiſcuo curruum tumultu vindicavit, eoque curas intendit, ut ſolum, hactenus ſterile, ſiccum, arenoſum, in pratum viride, odoriferum, viſuque jucundiſſimum immutetur.

§. XVII.

Hactenus varia, quæ ex diverſis fontibus (IV—XV.) in atmoſphæram Viennenſem migrant, inquinamenta contemplati, nunc ad putidum illum nidorem, quem infinita cadavera, in ſui deſtructionem perpetuo abeuntia, ſpargunt, excutiendum deſcendimus.

§. XVIII.

Quandiu vitalis motus humorum per vaſa pergit, omnia, niſi ſtatus præternaturalis intercidat, integra manent, & ad ſummum ſenium homo ſine ulla putredine pervenit. Verum omne corpus vivum, ceſſante cordis, & arteriarum motu, humorumque circulo in perpetuum extincto, in putridam corruptionem continuo ruere, viventibus omnibus ingratam adeo, & adverſam, tam cuique notum eſt, quam quod notiſſimum; licet id quidem lentius fiat, ſi aëri acceſſus ad humores ſtagnantes, vel extra vaſa tos diutius negetur. Si enim ipſi vivo in corpore humores quandoque vel ex diuturna fame, ac inedia, vel ex morbo quodam graviore tantam

tam

tam concipere corruptelam possint, ut gingivæ corrodi, dentes vacillare, anima fœtere incipiat, & ipsa atmosphæra variis, quæ ab ægro corpore procedunt, excrementis infecta, gravi ac ingrato odore adstantes percellat; si sanguis fæminæ febre maligna laborantis per phlebotomiam extractus adeo fœtebat, ut ex ejus tetro odore tam chirurgus, quam adstantes in animi plane deliquium inciderent, ut ILLUSTRISSIMUS NOSTER PRÆSES ex Mortono, oculato teste retulit (*i*); si ulcera inveterata, sordida, maligna; si carcinomata, licet vivis connexa partibus, tamen terribilem adeo fœtorem exhalent, ut ferri vix possit; quid, quæso, necessum est contingere, ubi sanguini optimis illis, & catholicis antisepticis, nimirum nova identidem per potum, cibumque reparatione, & motu vitali ademptis, conciliata est, putredinis aperto in aëre certissima creatrix, quies?

§. XIX.

Sed priusquam horrendam illam, & abominandam mephitim, quam hominum expirant cadavera (XVIII.), admotis propius naribus examinemus, aliam, huic quidem analogam, sed longe tamen minus detestabilem, quam brutorum corpora, putrido tabo diffluentia, fundunt, exhalationem considerabimus, ut sic quasi gradatim ad illud, quod gravissimum est, maxime-

(*i*) Ad aphorism. 89.

que intolerabile, adſcendamus. Licet vero & vegetabilia, & aquæ ſtagnantes putreſcant, pejor tamen eſt excrementorum quorundam præcipue animalium corruptio, ſed longe adhuc intolerabilior ipſorum animantium extinctorum putrefactio. Si equus vel violenta nece occiſus, vel macie corruptus in aperta, calente atmoſphæra putrefiat, quam teter late putor diffunditur? Si balæna in litus ejecta, & mortua, æſtivo, calidiſſimoque tempore in putridum miaſma reſolvitur, quam brevi abominanda ſua fracedine circumfuſum implet aërem, & omnem late viciniam fœdat? Si bos, ubi mortuus ceciderit, inſepultus relinquatur, putridi, in quod diſſolvitur, liquaminis fœtor quam eſt terribilis?

§. XX.

Sed non ſolum & viſu fœda, & nidore deteſtanda (XIX.) ſunt brutorum putrefacta cadavera, ſed ſanitati quoque, vitæque noſtræ infenſiſſima. Ex hiſtoria omnium temporum triſtiſſimis exemplis conſtat, ſi poſt prælia æſtate commiſſa inſepulta jacuerint animalium corpora, morbos obortos fuiſſe, qui magnam ſubinde ſtragem ediderunt. Sic Magni Pompeji exercitus apud Apolloniam ex equorum non tumulatorum vi peſte correptus eſt; ex eadem cauſa tempore Conſtantini peſtis oborta, ut hoc quidem ex Ammiano Marcellino, illud ex Lucano refert TRAL-

LE-

LESIUS (*k*). Et Pisauri relicto, & computrescente juxta viam bovis cadavere ob maligni halitus copiam inde effluentem viator subito exanimatus est (*l*). Sed etiam ex ingenti locustarum acie accumulata, putrescente similia evenerunt, ut ex Diodoro siculo narrat CRANTZIUS (*m*). Recte igitur, ut Illustris TRALLESII (*n*) verbis utar, nulla facile vel mediocris civitas inter gentes omnium minime moratas adeo aliena est a cultioribus politiæ regulis, & legibus, ut equinum cadaver intra mœnia toleret, & non statim relegandum ducat, & procul transferendum curet. Prudenter quoque, si forte lues grassetur inter armenta, per edicta publica injungi solet, ut continuo in profundas fossas projiciantur, ac superstrata copiosa, & arctius compressa terra obtegantur, ne fœtida sua effluvia in aërem spargant.

§. XXI.

Viennensis Politia, quod brutorum corpora attinet (XIX. XX.) studiose statis eisdem extra urbem removendis invigilat, si minora quandoque animalia domestica excipias, quæ subin hinc inde relicta computrescunt. Quamobrem atmosphæra Viennensis ab hac exhalationis spe-

 cie

(*k*) Ad REGEM POLONIÆ de tuenda sanitate pag. 150.
(*l*) Lancisius de bovilla peste. Parte 1. cap. 8.
(*m*) Tomo cit. pag. 137.
(*n*) Opere cit. pag. 160.

cie ut plurimum, haud tamen undequaque eſt immunis. Adde numeroſas lanienas, & coriariorum officinas, ex quibus in auram ab æſtivo ſole incaleſcentem magna conſimilium halituum quantitas evehitur. Accedit demum & illud, quod excoriatori morticinorum orientem verſus intra lineam habitare conceſſum ſit, qui pro iis, quæ exportat, corporibus, euro præſertim flante, ingentem teterrimi nidoris copiam in vicina ſuburbana remittit.

§. XXII.

Si vero adeo putida (XIX—XXI.), atque exitialis (XX.) deprehenditur brutorum animalium aperto, calidoque in aëre corruptela; quid jam de graveolenti illo halitu, qui de hominum exuviis, putri corruptione diſſolutis, emanat (III—XVII. XVIII. XIX.), concludemus? Licet enim vegetabilia, quibus armenta veſcuntur, ut Trallesii (o) utar argumento, in corporibus ipſorum, depoſita aceſcendi natura, immutentur penitus, cum bos integer combuſtus ne granum quidem ſalis alcalini fixi ſuppeditet, tamen minor ſtatuenda eſt brutorum ſaltem illorum, quæ ſolis nutriuntur vegetabilibus, in putredinem proclivitas, quam hominum animali victu, qui nunquam aceſcit, largius ſæpe, quam vegetabili, utentium. Si vero cadaver bovis, qui totus

(o) Opere, & pag. citatis.

tus antea gramen, fænum, & aqua fuit, adeo terribiliter fœtet (XIX.), adeo lethiferam expirat fracedinem (XX.); quid cadaveri hominis accidet, qui non solis vegetabilibus, non solis animalibus domesticis, quæ vegetabilibus pascuntur, sed carne carnivororum animantium, ut piscibus alios comedentibus, avibus insecta rapientibus, carne ferina vivit.

§. XXIII.

Sed quid isto (XXII.) opus ratiocinio, siquidem res ipsa quovis clarius argumento loquitur, veritatemque commonstrat? Vos ego testes appello, quotquot estis, quos aliquando mortuo in putredinem abeunti propius adstantes atmosphæra cadaverosis plena effluviis afflavit! An tolerare putidissimam illam mephitim sine abominatione, sine nausea, sine viscerum omnium quodam quasi violento motu, & absque animi, totiusque corporis horrore potuistis? Edicite, amabo, an est aliquid uspiam in rerum natura reperiundum, adeo & fœdum adpiscienti, & sentienti ingratum, & cogitanti horrendum, quod cum hominis cadavere, in putridissimum liquamen contabescente, ulla queat ratione comparari? Itane conjux a conjuge, a patre filius, amicus ab amico perfusam lacrumis faciem averteret? Itane cito eos, quos in vita venerati sumus, hisce magis oculis dileximus, procul a consortio nostro, a conspectu amoveri cuperemus,

 ni-

nisi eorum exuviæ & visu & halitu longe fœdissimæ violenta quadam, ac invicta necessitate id officii genus a lacrumis nostris extorquerent?

§. XXIV.

Apud eos, qui ad græci ritus ecclesiam pertinent, dum in exteris civitatibus negotiorum causa commorantur, absurdo receptum est more defunctorum suorum cadavera sacello, quod exercendæ religioni dicatum in privata quadam domo habent, priusquam terræ mandentur, inferre, ibique non in capulo picato conclusa, sed in feretro omnium oculis exposita ipso triduo retinere. Quamobrem, si funus in æstatem, aut in quodcunque tempus humidum, calidumque simul (XIII.) incidat, licet aromatum fragantissimorum fumo sacellum istud diu noctuque repletum sit, tamen aura teterrimo nidore gravida per universam domum, & per omnem late viciniam divagatur. Dum a prælio calidissima æstate commisso cæsorum militum cadavera, quacunque ratione citam sepulturam inhibente, obscœna putrilagine diffluere incipiunt, quam horrenda mephitis non per illos tantum, in quibus hostiles exercitus congressi sunt, campos, sed per pagos, urbesque vicinas ad multorum sæpe milliarium distantiam diffunditur?

§. XXV.

Viennensis atmosphæra, si ceteris quidem halituum generibus (XIII.) mediocriter tantum infecta sit, a cadaverosa tamen exhalatione longe pejorem perpetuo, quam vulgo creditur, labem suscipit. Sed id nunc verbo meminisse sufficiat, siquidem in alia dissertationis parte totum, quod de damnis cadaverosæ exhalationis molimur, argumentum exhauriemus.

§. XXVI.

Cum vero adeo fœda sit cadaverum, præcipue humanorum corruptio (XXII. XXIII. XXIV.) adeo præterea, quod alio itidem loco luce clarius ostendemus, vitæ, sanitatique inimica, hæc ipsa unica, primaria, & urgentissima causa exstitit, ob quam omnes nationes defunctorum corpora quocunque demum modo amovenda censuerunt. Quamobrem nunc primum est, ut de vario amovendi, sive sepeliendi ritu agamus.

§. XXVII.

Si sepulturam latissimo sensu cum Lilio Gregorio Gyraldo Ferrariensi (p) accipiamus, non solam intelligimus humationem, sed & plures alii modi, quibus variæ gentes in amo-

(p) Libello de sepultura, & vario sepeliendi ritu. cap. 3.

amovendis cadaveribus, aut olim usæ sunt, aut hodiedum utuntur, sepulturæ nomine veniunt.

§. XXVIII.

Universim vero GYRALDUS loco citato (XXVII.), ut, quantum fieri posset, omnem sepeliendi ritum comprehenderet, sepulcra in animata, & inanimata divisit. Animata quidem vel ea, quæ ratione pollent, vel quæ rationis expertia sunt. Nam aliis homines ipsi fuerunt sepulcra, ut eorum, penes quos mos fuit & mortuos vorare, & humana carne vesci, vel eorum, qui potu defunctorum cineres hauserunt. Aliis sepulcra fuere animalia bruta, ut qui suorum cadavera canibus, & vulturibus, ceterisque feris exponerent. Demum aliis elementa ipsa sunt sepulcra, ut eorum, qui aqua submerguntur; qui igne cremantur; qui per aëra suspensi arboribus, & patibulis suffiguntur; qui terra conduntur. Amovere scilicet hi quidem omnes defunctorum cadavera voluerunt, alii tamen aliis rationi, quæ ad id faciundum impellebat (XXVI.), melius satisfecere; & illi certe optime, qui metuendum a cadaveroso halitu detrimentum, quæ princeps amovendi causa, & verus sepulturæ finis fuit, quam maxime præverterunt.

§. XXIX.

Nos integram sepulturæ tradituri historiam juxta GYRALDI divisionem (XXVIII.) progre-

grediemur. Itaque primo de iis, qui ſuorum cadavera voraſſe perhibentur. De immani hac ἀνθρωποθησία multi multa ſcripſerunt. Sane omnes prope gentes nondum Evangelicæ doctrinæ radiis illuſtratæ huic ipſi adſueviſſe videntur. Sic Scytharum aliquos defunctorum corpora inter epulas devoraſſe Lucianus (*q*), & Tertullianus (*r*) memoriæ prodiderunt. Indorum quidam parentes, priusquam annis, aut morbo in ſenium, maciemque iviſſent, veluti Deorum hoſtias mactaverunt, cæſorumque viſceribus epulari fas apud eos, maximeque pium credebatur (*s*). Sed præſertim Padæi, gens indica, teſte Herodoto (*t*), ægrotantes interimere ſoliti ſunt, ac epulari. Qua de cauſa pauci apud illam gentem ad ſenectutem perveniſſe dicuntur, & ſi pervenerint, mactati itidem comedebantur. Sed ut in enarrandis rebus turpiſſimis, & non ſolum a Religione Chriſtiana, ſed ab omni prorſus humanitatis ſenſu alienis orationis vela contrahamus, idem, ut ceteros taceamus, de Gallis, de Britannis, de Gottis, de Suecis; tum de Maſſagetis, Derbicibus, Eſſedonibus, qui erant Scythiæ populi; de Ponticis gentibus; de Americanis antiquitatum Scriptores retulerunt, ut apud GYRALDUM noſtrum, ejusque eruditiſſimum commentatorem Faëſenum reperitur. De iis, qui po-

(*q*) In Toxari.
(*r*) In apolog.
(*s*) LILIUS GYRALDUS libello citato.
(*t*) Lib. III. Thalia.

potu defunctorum cineres hauserunt, unum hic Artemisiæ Mausoli Regis Cariæ uxoris exemplum in medium attulisse sufficiat, quæ, Plinio (*u*), & Valerio Max. (*w*) perhibentibus desiderio elata, ossa, cineremque conjugis mixta odoribus, contusaque in modum pulveris, & aquæ indita ebibit. Erat sane hoc stulti, ac violenti amoris specimen. Prudentiores anthropophagorum, sive Philosophi, ut obscœnos suorum dentes effugerent, semet ignibus ingerendo comburebant. De his Lucanus (*x*):

Quique suas struxere pyras, vivique calentes

Conscendere rogos.

§. XXX.

Eorum vero populorum, qui suorum cadavera feris objecerunt (XXVIII.), non pauci quoque extitisse traduntur. Id, ne prolixiores simus, de quibusdam Indiæ gentibus Sextus Empiricus (*y*), de Iberis Silius Italicus (*z*), de Parthis Justinus (*a*), de Bactrianis, & Hyrcanis Strabo (*b*), de pluribus aliis alii litteris consignarunt.

(*u*) Lib. XXXVI. cap. 4.
(*w*) Lib. IV. cap. 6.
(*x*) Lib. III. de bello Pharsalico.
(*y*) Lib. III. Pyrrhonic. hypoth. cap. 14.
(*z*) Lib. II. Punicor.
(*a*) Lib. XLI. hist. cap. 3.
(*b*) Lib. XI. Geograph.

runt. Non omnes feræ aut aliarum ferarum, aut humana carne delectantur. Pleræque, nisi vel ad iram provocentur, vel fame exagitentur, hominem potius fugiunt, quam impetunt. Sed vultures humanorum cadaverum avidissimi sunt teste Plinio, qui de iis scribit (c): *Triduo antea, aut biduo volare eos tradunt, ubi cadavera futura sunt.* An adeo exquisitum illis est olfactus organum, ut incipientem vivo in corpore putredinem, & halitum jam ante mortem cadaverosum eminus percipiant, & ad escam invitentur? Simile quid de bubonibus perhibetur; unde illa vulgi persuasio enata est, ab his avibus, si circum domum aliquam volitent, & tecto insidentes occinant, alicujus in illis ædibus, aut in vicinia mortem præsagiri. Idem alii de corvis, & picis referunt. Quid igitur veri hac in re sit, ex his ipsis eruitur. Scilicet illud mature olfaciunt, quod a nobis nonnisi post mortem, ubi copiosum exhalat, percipitur. Ita panis ægroti sudore infectus, si a cane famelico respuitur, pro signo mortis imminentis a quibusdam habetur; canes enim cadaverosum halitum aversantur.

§. XXXI.

Nunc ordo postulat, ut ad eos, quibus elementa ipsa sepulcra fuerunt (XXVIII.), transeamus. Et inter hos quidem omnium primo illas gen-

(c) Hist. nat.

gentes, quæ mortuos aqua ſubmergebant, commemorabimus. Æthiopum quemadmodum diverſa regio, ita diverſa quoque ſepeliendi ratio fuit. Quidam horum defunctos in flumina conjiciebant, id elementum optimum ſepulcrum arbitrantes. Sextus Empiricus (*d*) hos ichthyophagos nuncupatos ait, & inde, quod piſcibus victitent, a piſcibus quoque poſt mortem vorari velle commemorat. Eundem morem Lotophagi Libyæ populi ſervaverunt, qui ſuorum cadavera in mare jacere ſoliti ſunt, minimum intereſſe exiſtumantes, humone, an humore illa diſſolvantur (*e*). Ita & Pæonæ in ſtagna ſuos (*f*); & Naſamonæ in mare pariter projiciebant (*g*). Ægyptii, qui quidem vario, & putredini quam maxime oppoſito ſepeliendi ritu uſi ſunt, uti alio loco videbimus, tamen quædam corpora in flumen præcipitabant (*h*).

§. XXXII.

Eorum autem populorum, qui uſtionem (XXVIII.) receperunt, plures occurrunt. Atque ut a Romanis, ceterarum gentium principe populo, exordiamur, apud hos, Plinio teſte (*i*), ipſum cremare non fuit veteris inſtituti, ter-

(*d*) Libro, & cap. citatis.
(*e*) Strabo Lib. XI. Geograph.
(*f*) Laërtius Lib. IX. In vita Pyrrhonis.
(*g*) Silius Italicus Lib. XIII. Punicorum.
(*h*) Gyraldus Lib. cit. de Ægypt. Sepel. ritu.
(*i*) Lib. XII. cap. L. IV.

terra condebantur; atque poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognoviſſent, tunc inſtitutum. Cremato cadavere cineres, & oſſa in urnam collecta ſepulcro inferebantur. Quibus vero ceremoniis hæc omnia peragerentur, egregie Virgilius cecinit (*k*). Idem urendorum cadaverum mos & apud Græcos (*l*), Phryges (*m*), Thraciæ populos (*n*), Gallos (*o*), Germanos (*p*) obtinuit. Sed apud hos ipſos populos non una, nec ſemper eadem fuit, nec ab omnibus obſervata conſuetudo. Plerumque opulentiorum, & generis nominisque ſplendore illuſtrium cadavera igne cremata ſepulcris inferebantur, viliorum ſimpliciter terræ mandata ſunt. Iſtud autem urendi cadavera humana inſtitutum usque ad Chriſti nati tempora, quin ad media æræ Chriſtianæ ſæcula in quibusdam regionibus perduravit, & hodiedum apud Indos, aliasque gentes, a vera religione remotas, obtinet (*q*). Quoniam vero omnes hæ gentes, quæ defunctorum cadavera flammis tradere conſueverunt, ſimul humandi morem receperant, de iis paulo inferius, de ſepultura ſtricto, ac proprio ſenſu accepta differentes, denuo agemus.

(*k*) Æneidos Lib. VI. de Miſeni funere.
(*l*) Lucianus de Luctu.
(*m*) Stobæus ſermone 120.
(*n*) Herodotus in Terpſichore.
(*o*) Pomponius Lib. III. de ſitu orbis cap. 2.
(*p*) Tacitus de moribus Germanor. cap. 27.
(*q*) Trallesius op. cit pag. 152.

§. XXXIII.

Inter illos, qui aëreo ſepulturæ genere uſi ſunt (XXVIII.), erant quidam Scythiæ populi, qui parentum ſuorum cadavera inter nives & glaciem arborum truncis affixa ſuſpenderunt, ſcelus arbitrati, ſi illa terræ mandarentur (*r*). Idem de Colchis refert Ælianus (*s*).

§. XXXIV.

Supereſt, ut de miro quorundam Æthiopum ſepeliendi ritu, qui ad nullum ex recenſitis (XXIX. XXX XXXI. XXXII. XXXIII.) referri poteſt, nec in humatione conſiſtit, pauca ſubjungamus. Hi, teſtibus Herodoto (*t*), & Diodoro Siculo (*u*), cadavera arefaciunt, gypſo, quod celerrime coeat, & ſiccetur (*w*), obducunt, pingunt, vaſis vitreis concludunt, nihilque fœditatis, vel tetri odoris exhibentia, ſed omnia pene vivis aſſimilia in nepotum, & poſteritatis memoriam conſervant per annum quidem intra ædes, deinde vero extra urbem. Atque ita quidem varios variarum gentium ſepeliendi ritus ſuccincta oratione complexi ad huma-

ma-

(*r*) Gyrald. op. cit. cap. 18.
(*s*) Lib. IV. var. hiſt.
(*t*) Lib. III. Thalia cap. 24.
(*u*) Lib. III. cap. 12.
(*w*) Plinius Lib. XXVI. cap. 24.

mationem ipſam, ſeu ad eos, quibus terra ſepulcrum fuit (XXVIII.), ordine deducimur.

§. XXXV.

Antiqui, quemadmodum Jovi cœlum obtigiſſe, Neptuno mare, ita Plutoni imperium in ea, quæ in ſubditis terræ viſceribus hærent, commiſſum exiſtumaverunt. Quo factum eſt, ut Plutonem auctorem ſepulcrorum fuiſſe, eorundemque curam gerere fabularentur. Hinc eſt, quod ſepulcrum *Plutonia domus* (x) *Plutonium* vocatum ſit. Romani, qui inſtitutis ſuis non Deos tantum, verum Deas quoque præſidere voluerunt, ita quoque ſepulturæ non Plutonem ſolum, ſed Libitinam etiam præfecerunt (y). Huic quoque Deæ ex Servii Tullii inſtituto numus offerendus erat, quoties quisquam e vivis diſcederet; quemadmodum poſthac & a partu cujusquam numum in Junonis Lucinæ templum inferri ſancitum fuit. Ita Reipublicæ civium numerus innotuit (z).

§. XXXVI.

Sed ut ex fabularum caligine (XXXV.) inveritatis lucem emergamus, inſtitutum mor-

 tuos

(x) Horat. Lib. I. Carm. Od. IV.
(y) Plutarchus in vita Numæ, & Livius Lib. XL.
(z) Dionys. Halicarnaſſ. Lib. IV. antiquit.

tuos humandi, ab ipſo, quo nullus antiquior, Dei populo receptum fuit. Abraham Saram uxorem in ſpelunca agri juxta Ebron ſepulturæ commiſit (*a*), qui ob id ipſum ſepulcreti inventor apud Polydorum Virgilium audit (*b*). Idem probant reliquorum Patriarcharum exempla, qui Abrahami æmulos in eo ſeſe oſtenderunt. Quid, quod ſint, qui exiſtument, Adamum humani generis Principem Hebrone quoque ſepultum fuiſſe; licet eum quidam conditum in loco calvariæ — an vere? pie certo ſuſpicentur (*c*). Sed lite hac ſub judice relicta nobis ſatis eſt probaſſe vel antiquiſſimam gentem humationi adſueviſſe. Inde vero paulatim ea conſuetudo invaluit, eidemque apud plures alias gentes locus quoque relictus eſt.

§. XXXVII.

Quemadmodum vero in ceteris rebus, ita vel maxime circa ſepulturam diverſiſſima fuerunt diverſarum gentium inſtituta. Alii quippe defunctorum cadavera igne prius cremata, & in urnas collecta ſepulcris intulerunt (XXIII.); alii variis ſubſtantiis putredini reſiſtentibus condire, & demum tumulare; alii ſimpliciter, nec flammis, nec balſamis adhibitis, terra condere adſueverunt.

§. XXXVIII.

(*a*) Genes. cap. 22. v. 19.
(*b*) Lib. VI. de invent. rer.
(*c*) Hieronymus. Nicol. Lyranus. Toſtatus Episcop. Abulenſis cap. 23.

§. XXXVIII.

Romani primis ab urbe condita temporibus cadavera terræ ſimpliciter mandaverunt, poſtea ſuos flammis urere, ſaltem nobiliores, cœpere; cinerem, oſſaque eorum magna exequiarum ſolemnitate ſepulcris inferentes (XXII.). Mansit vero apud Romanos cremandi conſuetudo, ut quibusdam placet, usque ad Antoninorum Imperatorum tempora, ita tamen, ut a plerisque ſaltem deſitum ſit corpora cremare, & rurſus terra condere cœptum. Sed demum teſte Minutio Felice Conſtantinus M. prorſus in eo fuit, ut vetus, & melior humandi conſuetudo frequentaretur. Græci quoque, præcipue Athenienſes, publicas perſonas, virosque bellica virtute conſpicuos combuſſerunt, & poſt ſepulcris condiderunt (*d*). Phryges igne cremare, ut Græci, conſuevere, mox ſepelire, exceptis, quos non ſepeliebant, ſacerdotibus (*e*). Ita & apud Thraciæ populos illuſtres perſonæ cremari ſolebant, terræque committi (*f*). Demum & Galli veteres mortuos cremaſſe, ac defodiſſe (*g*); & Germani claros viros rogi ex certo lignorum genere excitati honore condecoraſſe, tum erecto e ceſpite ſepulcro condidiſſe feruntur (*h*).

 §. XXXIX.

(*d*) Gyrald. cap. 21.
(*e*) Stobæus loco citato.
(*f*) Herodotus in Terpſichore.
(*g*) Pomponius Lib. III. de ſitu orbis. c. 2.
(*h*) Tacitus de morib. Germ. cap. 27.

§. XXXIX.

Inter illos, qui cadavera & odoramentis variis contra putredinem munire, & terræ ſimul mandare adſolebant (XXXVII.), Ægyptii principes fuerunt, & quaſi ceterorum omnium, qui eundem poſt illos morem ſecuti ſunt, anteſignani. De Ægyptiorum vero ſepultura multi multa retulerunt (*i*). Inter hos præcipuo ponendus eſt loco Diodorus Siculus, qui de Regum Ægypti (*k*), & de privatorum (*l*) ſepultura multa memoriæ prodidit. Omnes fere authores, ut breves ſimus, in eo conveniunt: Ægyptiis morem fuiſſe, inteſtina, exceptis corde, & renibus, ex cadaveribus educere, tum eadem aromatibus implere, demum ſalire, & ſic vel domi ſervare, vel in flumen præcipitare (XXXI.), vel circum templa defodere, vel in arena puriſſima, ac aridiſſima potiſſimum ſub pyramidibus ſepelire. Balſamis, ſali, atque arenæ mumias illas Ægyptiacas debemus. Aſſyrii mortuos, priusquam ſepulcris traderent, cera, & melle condiverunt (*m*). Idem Lacedæmonii fecerunt (*n*). Sed hi & ſilerem contritum, & thymiama, & apii, aniſi, cannabis ſemina adhibuerunt

---

(*i*) Lucianus, Sextus Empiricus, Chryſipus, Cicero, Strabo, Herodotus.

(*k*) Lib. I. Biblioth. hiſt. parte 2. cap. 3.

(*l*) Lib. II. rer. antiq. cap. 5.

(*m*) Strabo Lib. XV. Geograph.

(*n*) Xenophon Lib. V.

runt (*o*). Perſæ ſuorum cadavera cera circumlinire ſoliti ſunt, ut illa quam maxime diuturna permanerent (*p*). Hebræi cum multa alia, tum illum etiam condiendi morem ab Ægyptiis edocti defunctorum cadavera aromatibus, & odoramentis munita ſepeliverunt. Sunt quidem, qui volunt, Hebræos uſtionem quoque cadaverum non excluſiſſe, quemadmodum Lucianus (*q*) contendit; Sed id a veritate longiſſime abeſſe & Gejerus demonſtravit (*r*), & infinita ſacrorum librorum loca evincunt. Nobis unus inſtar omnium ſufficiat graviſſimus, & oculatus teſtis Joannes Evangeliſta, qui Judæos & condiviſſe corpora æque, ac Ægyptios, licet modo ab illis diverſo (*s*), & ſepeliviſſe in agris, & obſtruxiſſe ſepulcrorum oſtia ſaxis, & lapidum molibus reliquit (*t*). Demum & apud Chriſtianorum aliquos uſu receptum eſt, licet id quidem hodie non admodum frequens, mortuos vel balſamis, vel ſale, & melle condire (*u*).

(*o*) Herodotus in Melpom. Lib. IV. cap. 21.
(*p*) Cicero Lib. I. Tuſc. Quæſt.
(*q*) Lib. de Luctu.
(*r*) Libro de Luctu Ebræor. cap. 5.
(*s*) Cap. XIX. v. v. 39. 40.
(*t*) Cap. XI. v. 38.
(*u*) Gyrald. Libello cit. ſub finem.

§. XL.

Sed antequam condituram cadaverum (XXXIX.) mittamus, illos, qui forte ustionem apud Hebræos usitatam quacunque ratione probare niterentur, expedire debemus. Exemplum forte unicum veræ combustionis extat Saulis Regis in Israel, & trium filiorum, qui in prælio cum Philistis in monte Gelboe ceciderunt (*w*); quod ex necessitate, non consuetudine quadam, factum fuisse cum Spondano opinamur, ob intolerabilem scilicet fœtorem, quem corpora, per aliquot jam dies suspensa, procul dubio exhalabant; quare, ut decenter sepulcro inferri possent, ab habitatoribus Jabes Galaad combusta sunt. Illud negari non potest, Hebræos, dum Regibus justa persolverent, adparente quadam combustione usos fuisse, dum aromata, & unguenta, corporibus copiose affusa, accenderent, ut non tam cadavera, quam hæc ipsa odoramenta flammis absumerentur, quemadmodum Spondanus varia exempla adducit de combustionis ceremoniis in Regum funeribus apud Hebræos usitatis (*x*).

§. XLI.

Hactenus (XXXVIII—XL.) de illis dictum est, qui quasi composito magis sepulturæ genere utebantur; nunc ad illos ordo ducit, qui ca-

---

(*w*) Reg. Lib. I. cap. 31.
(*x*) Lib. I. Cœmet. Sacror. Parte II. c. 1.

cadavera nec flammis destructa, nec aromatibus, aut ulla re alia, condita, simplici, quantum quidem scimus, humatione sepelire consueverunt.

§. XLII.

Hominum fato defunctorum corpora humandi morem omnium antiquissimum, atque quasi ab ipso Deo imperatum fuisse, vel ipsæ sacræ literæ testantur (*y*). Et id ipsum Abrahami, ceterorumque Patriarcharum exemplis comprobavimus (XXXVI.). Sed & Deus ipse Moysem, in monte Nebo mortuum, in valle regionis Moabitarum sepelivit (*z*). Quid quod id sepulturæ genus antiquissimum fuisse ipse Marcus Tullius declarat (*a*)? Sed & nihil magis naturale videtur, quam ut ignobilior hominis pars in terram, de qua sumpta est, revertatur, quæ, ut canit Lucretius (*b*):

Omniparens eadem rerum, & commune sepulcrum.

Sed humationis causas alio loco penitius expensuri, hic, ne omnia sine ordine commiscentes obscuri, & lectoribus odiosi evadamus, ea solum, quæ facta sunt, referemus. Quemadmodum autem cum ceteris inventis omnibus con-

(*y*) Genes. cap. 3. v. 19.
(*z*) Deuteronomii cap. 34. v. 6.
(*a*) Lib. II. de legibus.
(*b*) Lib. V. rerum nat. v. 260.

tingit, ut in ſuis quaſi incunabulis ſimpliciſſima, ſenſim perpetua quadam poſterorum adjectione magis, magisque ſæpe in melius, non infrequenter etiam in deterius componantur, ita quoque humatio cadaverum ſucceſſu temporis, prout hactenus (XLI.) vidimus, pro variarum gentium genio, perſuaſione, ac inſtitutis a primæva ſimplicitate receſſit.

§. XLIII.

Interea non defuerunt omni ævo populi, qui, quantum quidem hiſtorica fide certi ſumus, ſepulturæ ſimplicitatem (XLI.) retinuere. Et primo quidem de Abrahamo nihil præterea conſtat, quam quod Saram uxorem ſuam in agro, quem a filiis Heth coëmit, terræ mandaverit: *Advena ſum*, ajebat, *& peregrinus apud vos, date mihi jus ſepulcri vobiſcum, ut ſepeliam mortuum meum* (c). Nec Philo antiquiſſimus Hebræorum ſcriptor in libello, quem de Joſepho Jacobi filio ſcripſit, ullius, quam ſimplicis humationis, meminit illo in loco, in quo Jacobum mortem filii, quem fratres a fera devoratum renuntiarunt, lacrumis, ac lamentis proſequentem inducit. Romani quoque, priusquam cremare cœpiſſent, terra mortuos condebant (XXXII.). Idem apud illos mos poſterioribus reip. temporibus ſub Antoninis redire cœptus a Conſtantino

M.

(c) Geneſ. 23. 4.

M. abrogata uſtione revocabatur (XXXVIII.). Athenienſibus, qui illuſtres viros, & qui glorioſam pro patria mortem oppetiverant, igne cremarunt (XXXVIII.), privatus mos fuit, a Cecrope inſtitutus, reliquos cives ſimplici humatione ſepeliendi (*d*). Idem Megarenſes, & Phænices obſervaverunt (*e*). Eandem Spartiatis legem Lycurgus tulit (*f*). Derbices, gens ſcythica, eos quidem, qui ſeptuageſimum ætatis annum exceſſiſſent, nefando ſepulturæ ritu jugulatos in epulis devorarunt; ideoque a nobis inter anthropophagos relati ſunt (XXXIX.); vetulas tamen, vel qui ante id temporis ſpatium fato ceſſiſſent, terra condiderunt (*g*). De Albanis, montis Caucaſi incolis, illud ſingulare perhibetur, quod defunctos cum opibus, pecuniis, reliquisque eorum rebus pretioſis ſepelire ſoliti ſint, ne divitiæ poſt obitum relictæ defunctorum memoriam, & deſiderium afferrent (*h*). Iberi, qui priſcis temporibus ſuorum cadavera vulturibus lancinanda expoſuerant (XXX.), poſtea, doctrina Evangelica imbuti, ſimplici Chriſtianorum ritu ſepelire cœperunt (*i*). Thracum variæ gentes, variaque fuerunt inſtituta. Omnes tamen, ſi magnates eximas (XXXVIII.), ſimplici

---

(*d*) Marc. Tullius Lib. II. de legibus.
(*e*) Gyrald. Op. cit. cap. 21.
(*f*) Plutarchus de Laconum inſtitutis.
(*g*) Strabo Lib. IX. Geograph.
(*h*) Idem Lib. XI. Geograph.
(*i*) Procopius de bello Gottico.

ci humatione ſepeliebantur: ut de Trauſis Val. Maximus (*k*), de Cauſianis Stobæus, de Getis, quos Gottos plerique exiſtumarunt, & de Creſtonibus Herodotus (*l*) teſtantur. Erant omnes hi Thraciæ populi. Macedonibus quoque nullum tam ſolemne munus fuiſſe proditum eſt, quam mortuos ſepelire (*m*). Quamobrem Olympias Alexandri Mater apud Titum Livium (*n*) vehementer lamentatur, filium ſuum aliquot dies inſepultum jacuiſſe; quaſi ille, qui cœli particeps eſſe ſtudebat, ne iis quidem potiri valuiſſet, quæ ſunt mortalium omnium communia, terra, & ſepultura. Et apud Perſas Cyri temporibus ſimplicis ſepulturæ conſuetudinem obtinuiſſe vero ſimillimum eſt, quum idem Rex apud Xenophontem (*o*) cadaver ſuum neque in auro condi, neque in argento, neque in alia re prorſus ulla, ſed illud terræ reddi quamprimum jubet, beatum putans miſceri terræ, quæ omnia gigneret, atque nutriret. Sed & Turcæ ſepeliunt (*p*). Apud Chriſtianos denique illud maxime proprium cenſetur, ut terra terræ reſtituatur; interea hi cadavera vel terra condunt, quod vulgare, & plebejum, vel marmoreis ſepulcris,

quod

(*k*) Lib. II. cap. 4.
(*l*) In Melpom. & Clio.
(*m*) GYRALDUS cap. 25.
(*n*) Lib. VIII. Decad. I.
(*o*) Lib. VIII. de Cyropædia.
(*p*) Montalbus in Comment. rer. Turc. pag. 49.

quod civilius, vel porphyreticis labris, & aheneis, quod Principum est, & potentiorum (*q*).

§. XLIV.

Atque hactenus quidem (XXIX—XLIII.) nudam, atque simplicissimam sepulturæ historiam eo, qui aptissimus videbatur, ordine tradidimus, primo, ut ne cui opus nostrum, si ista deessent, mancum videretur, deinde, ut ex his ipsis, quænam hac in re diversarum gentium instituta fuerint, eluceret. Pro coronide Silium Italicum subjungimus, qui Libro XIII. Punicorum varios sepeliendi ritus brevius complexus est:

Namque, inquit, *ista per omnes*

Discrimen servat populos, variatque jacentum

Exequias tumuli, & cinerum sententia discors.

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus. Ibera

Exanima obscœnus consumit corpora vultur.

Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est

Hyrcanis adhibere canes. Ægyptia tellus

Claudit odorato post fatum stantia saxo

Cor-

(*q*) Gyraldus de Christ. sepeliendi ritu.

Corpora, & a mensis exanimem haud sep rat umbram.

Exhausto instituit Pontus vacuare cerebro

Ora virum, & longum myrrhata reponit in ævum.

Quid qui reclusa nudos Garamantes harena

Infodiunt? Quid qui sævo sepelire profundo

Exanimes mandant libycis Nasamones in oris è

At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent

Ossa, nefas, auro, & mensis ea pocula servant.

Cecropidæ ob patriam mavortis sorte peremptos

Decrevere simul communibus urere flammis.

At gente in Scythica suffixa cadavera truncis

Lenta dies sepelit putri liquentia tabo.

§. XLV.

Jam vero per residuam Dissertationis partem philosophico magis pede procedentes, primo, qui ex recensitis (XXIX — XLIII.) optimus sit sepeliendi ritus, determinabimus; deinde varias humationis causas seorsim, & penitius expendemus; tum de sanctitate, & locis sepulcrorum, atque de promiscuæ in templis sepulturæ, & cœmeteriorum circum templorum muros

ros origine agemus; quam consuetudinem denique, ubi sanitati, vitæ, longævitati civium infensissimam demonstraverimus, meliorem humandi & locum, & modum proponemus. Gravissimum argumenti genus! quod si non pro rerum dicendarum dignitate, at certo pro ingenii nostri viribus pertractabimus.

§. XLVI.

Recensitis itaque variis sepeliendi ritibus nunc, quinam ex iis optimus sit, & ceteris omnibus præferendus, videamus. Atque primo quidem omnes illos sepeliendi modos, auditu horridos, barbarie, & crudelitate immanes, nimirum animatam illam sepulturam, tum aquosum, & aëreum sepulcrorum genus (XXIX. XXX. XXXI — XXXIII.) prorsus rejicimus, abominamur. Quamobrem humationem solum compositam & simplicem (XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII.) inter se comparabimus, ut quænam ex his & rationi, & religioni, & viventium commodis, & multitudini convenientissima sit, elucescat. Ad compositam humationem duos sepeliendi ritus, quorum unum ustio (XXXVIII.), alterum conditura (XXXIX.) præcedit, reduximus.

§. XLVII.

§. XLVII.

Uſtionem quod attinet, hac quidem partes animales in moleculas volatiles, & tenues fumos ignis tortura reſolutæ, ſibi relictæ, & additamentis haud correctæ non equidem bene olent, ſtricte tamen ſic dictæ, & veræ putredini non ſubjectæ in auras diſperguntur (*r*). Interea uſtio & olim apud ipſos illos populos, a quibus recepta fuit, in pauciora tantum cadavera cadebat, & poſtea apud Chriſtianos penitus exulare juſſa eſt (XXXII—XXXVIII.), & hodie ob mutas, graviſſimasque rationes nullo tolerari pacto poteſt. Rationes itaque, quæ uſtionem condemnant, paucis delibemus. Et primo quidem nullus extat in ſacra Scriptura locus, qui uſtionem ab ipſo Numine vel imperatam, vel approbatam doceret, dum contra humationem ſimplicem, & a mandato divino profluxiſſe, & a ſanctis Patriarchis adoptatam perpetuo poſterorum uſu viguiſſe compertum eſt (XLII.). Deinde & lignorum penuria in amplis præſertim & populoſis civitatibus, tum in illis provinciis, quibus a natura pauca obtigerunt nemora, & incendiorum periculum cremandi morem pretioſum nimis, & difficilem, immo impoſſibilem ſæpe, & plenum diſcrimine declarant. Sed & illud adverſatur, quod hodie nonniſi ſceleſtiſſimorum quorundam hominum cadavera in pœnam, ac infamiam, & terrorem aliis incutiendum comburantur. Quid quod

---

(*r*) Trallesius Op. cit. pag. 152.

quod iſte combuſtorum cadaverum fumus, quamvis cum corporum ſponte putreſcentium mephiti (XXIII. XXIV.) æquiparari non poſſit, tamen atmoſphæram non mediocri labe inquinaret? Licet enim ignis apertus ſtupenda mobiliſſimarum particularum ſubtilitate in intimam corporis compagem penetret, ultimosque principiorum nexus penitius longe, quam inteſtinus ille putredinis creator motus, disjungat, tamen negari non poteſt, priusquam corpus integrum conceptis flammis in cinerem fatiſcat, maximam copiam alcalini volatilis ſalis, oleo tenaci, empyreumatico, fœtentiſſimo involuti, putridoque halitui ſimillimi avolare, quandoquidem cadavera rogis impoſita maximam partem torrentur potius, & aſſantur, quam comburuntur. Deinde etſi concederemus, hæc duo principia, quæ per putrefactionem evoluta ſolum, non disjuncta, unitis venena ſunt viribus, per vivam flammam omnino ſegregata, nuda, ſolitaria per aërem diſſipari, illud tamen certiſſimum eſt, illa igne adeo in nihilum non redigi, ut fuligo docet, quin potius volatiliora, corrodentia, admodum cauſtica deveniant, & in corpus vivum ſuſcepta, ſi non putridos morbos, at alia certe æque atrocia mala, minimorum præcipue vaſculorum, producere valeant. Demum licet uſtionem quocunque ſuſtinere argumento vellemus, tamen illud concedere omnino deberemus, hanc ipſam, niſi pagi, urbesque perpetuis rogis collucerent, nonniſi paucis admodum obventuram, maximum-

que nihilominus cadaverum numerum ſimpliciter fore tumulandum. Ex quibus omnibus ſatis dilucide conficitur, uſtioni cadaverum nullum poſſe locum relinqui.

§. XLVIII.

Nunc alterum compoſitæ ſepulturæ genus, condituram videlicet corporum (XLVI.) diſcutiamus. Hanc ipſam multis, & luculentis rationibus niti, non eſt profecto, cur negemus. Et omnium quidem primo mos cadavera condiendi ab ipſo Dei populo receptus legitur (*s*); & JESUS CHRISTUS, teſte dilecto Diſcipulo, eodem ritu ſepultus eſt (*t*). Sed conditura cadaverum, præterquam quod graviſſimo authoritatis pondere ſtabilita ſit, phyſicis etiam argumentis confirmatur. Ægyptii cadavera, odoramentis impleta, ſaliverunt (XXXIX). Odoramenta, ſive ſubſtantiæ aromaticæ, oleo eſſentiali, æthereo plenæ, propter ſubtile, quod copioſum in ſinu ſuo recondunt, acidum ſumma gaudent virtute antiſeptica, omnique putredini efficaciſſime reſiſtunt (*u*). Sal vero corpora adſtringit, ſiccat, adligat, defuncta etiam a putreſcendo vendicans, ut durent ita per ſæcula (*w*). Et ſervan-

(*s*) Geneſ. cap. 50. v. v. 2. 3. 25.
(*t*) Cap. 19. v. v. 39. 40.
(*u*) LIBER BARO VAN SWIETEN ad Aph. 605. n. 3. 4.
(*w*) Plinius Lib. XXXI. Hiſt. nat. cap. 9.

vandis carnibus aptus acer, & ſiccus ſal eſt (*x*); nec quæ ſale, & aceto arefacta ſunt, vermiculis infeſtantur (*y*). Si itaque omnibus enitendum eſt viribus, ut triſtiſſimæ cadaveroſorum halituum noxæ averruncentur (XXVI—XXVIII.), quis eſt, qui inficias eat, Ægyptiorum iſtam conſuetudinem, qua defunctorum corpora, optimis munita anteputredinoſis, a corruptela præſervabantur, non ſolum carpendam non eſſe, ſed ſummis etiam laudum encomiis exornandam? ſed & calidiſſima illa Africæ atmoſphæra, in qua quemadmodum exhalationes omnes, & copioſiores, & magis deleteriæ exiſtunt (XIII.), ita animalium quoque putrefactio longe eſt intolerabilior (XIX. XX—XXIV.) Ægyptiis illius, de qua meminimus, ſepulturæ neceſſitatem impoſuiſſe videtur. Aſſyrii, & Lacedæmonii cera, & melle mortuos condiebant; & ſilerem contritum, & thymiama, & cannabis ſemina adhibuerunt (XXXIX.). Sed & mellis natura eſt, ut corpora putreſcere non ſinat (*z*). Et ſiler, & ſemen cannabis vermes propulſant (*a*). Cera vero cutis poros obturat, unde, excluſo aëre libero, motus ille inteſtinus, per quem putrefactio abſolvitur, excitari non poteſt.

D 2 §. XLIX.

(*x*) Idem Lib. cit. cap. 7.
(*y*) Idem Lib. XXV.
(*z*) Idem Lib. XXII. cap. 24.
(*a*) Idem Lib. XVI. cap. 18. & Lib. XX. cap. 23.

§. XLIX.

Interea & hunc ſepeliendi ritum, licet quidem nec rationi, nec religioni adverſetur, (XLVIII.) quia tamen nec commodis noſtrarum regionum, nec multitudini conveniens eſt, rejiciendum arbitramur. Quanta enim, ſi omnia, vel ſaltem pleraque cadavera aut aromatibus, aut cera, & melle condire vellemus, harum rerum copia requireretur? Deinde, ſi his etiam ſubſtantiis provinciæ noſtræ affluerent, tamen iſtud ſepulturæ genus, quamvis vel mediocriter pretioſum, opulentioribus ſolum, adeoque pauciſſimis, non multitudini, quæ hic potiſſimum in conſiderationem vocanda eſt, obtingeret.

§. L.

Expenſis hactenus (XLVII.XLVIII. XLIX.) diverſis ſepulturæ generibus, & cujusque incommodis juſta æſtimatione ponderatis, ſupereſt, ut ſimplicem quoque humationem (XLI.) contemplemur. Nec vero neceſſum eſt, ut hanc ipſam magno argumentorum apparatu, aut prolixa oratione commendemus. Pro hac multiplex, & gravis cum Divina tum humana pugnat authoritas (XLII. XLIII.). Hæc non religioni ſolum, & rationibus phyſicis, quod de conditura etiam aſſertum eſt (XLVIII.), ſed & commodis viventium, & multitudini, quod certe de nullo alio ſepeliendi modo adfirmari poterit,

rit, quam maxime convenit; ſi quidem ita ſit, ut fini, in quem inventa eſt (XXVI—XXVIII.) reſpondeat, qua de re plura deinceps.

§. LI.

Quod ſi itaque ſepelienda ſint defunctorum corpora (XXVI.), nullum vero ſepulturæ genus aſſignari poſſit (XLVI — XLIX.), quod cum ſimplici humatione æquo jure de prærogativa decertet (L.), pronum omnino, ac evidens eſt concludere, hunc ipſum ſepeliendi ritum optimum eſſe, atque ceteris omnibus anteponendum. Atque de hoc etiam prope ſolo ſepulturæ genere jam cunctus nobis futurus eſt ſermo.

§. LII.

Quamquam vero principem humandorum cadaverum rationem, putridiſſimam nimirum illam exhalationem, conſtituimus (XXVI—XXVIII.), tamen, quia nunquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur, cumque & aliæ præter hanc ſepeliendi cauſæ antiquis creditæ ſint, ſeorſim omnes fuſiori disquiſitioni ſubjiciendas judicavimus. Verum quum hic ſimpliciter de humatione, quo demum cunque loco illa fiat, ſermo ſit, de ſepulcrorum autem locis inferius acturi ſimus, illas etiam rationes, quæ cadavera vel extra urbis mœnia, & procul a viventium conſortio amovendi, vel meliore ſaltem, quam in

hanc usque diem factitatum est, modo tumulandi necessitatem declarant, nunc illo, quod res admiserit, silentio præteribimus, ne argumenti vim præmatura siti exhaurire videamur.

§. LIII.

Si vero ulla cura hominibus sancta fuerit, certe fuit ea, quæ circa sepulturam occupatur. Et gentes quidem, idololatriæ tenebris circumseptæ, non tam ex veris caussis tanto sepulturæ desiderio elatæ fuerunt, quam quidem magno illo superstitionis argumento, quod teste Tertulliano (*b*) arbitratæ sint, insepultorum animas non posse inferum portas adire, nisi justis legitime peractis; unde Sybilla apud Virgilium (*c*):

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataque turba:

Portitor ille Charon. Hi, quos vehit unda, sepulti;

Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta

Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.

Unde quidem elucet, sepulturam veteres magni fecisse, ita tamen, ut apud eorum plerosque ex religione potius, quam in civium utilitatem adoptata videatur.

§. LIV.

(*b*) Libro de anima.
(*c*) Lib. VI. Æneid. v. 325, & seq.

§. LIV.

Sed crediderimus ſapientiores earum gentium, cumprimis vero rerum publicarum gubernatores, uti in aliis, ita hac quoque in re, veras legum cauſas ſub religionis ſpecie abſcondidiſſe; ſiquidem vulgus ob immenſam, quam illorum temporum caligo peperit, credulitatem nulla re facilius, quam religione traheretur. Et profecto longe nobilior aliorum erat perſuaſio, qui ſepulturæ beneficio, communis matris, terræ viſceribus reddi volebant, ut de Cyro, glorioſiſſimo Perſarum Rege, meminimus (XLIII.). Sed & indigniſſimum quidam vel inter ipſos gentiles exiſtumabant figmentum Dei, & terrenum immortalis animi domicilium vulturibus, atque feris in prædam projicere. Quid quod ſepulturam juris naturæ eſſe jam antiqui crediderint? Quo nomine ſe excuſavit Antigone Oedipodis Thebanorum Regis filia apud Creontem Regem, quod contra ipſius edictum Polynicis, & Oetocli cadavera ſepulturæ tradidiſſet, inquiens: *Sepelire mortuos eſſe de jure naturæ, & naturæ magis juri obediendum, quam Regi;* ceu ex Statio refert Tiberius Decianus (*d*). Eodem collimat Arminius vetuſtiſſimus Poëta, dum canit:

Humano generi poſuit natura creatrix

Hanc legem, ut tumuli membra ſepulta tegant.

 Et

(*d*) Tractatu criminali Lib. VI. cap. 40.

Et Mezentius apud Virgilium (*e*) enixe flagitat, ut cadaver suum tumularetur:

Corpus humo patiare tegi: scio acerba meorum

Circumstare odia: hunc, oro, defende furorem,

Et me consortem nati concede sepulcro.

§. LV.

Licet vero alia aliis gentibus sepeliendi ratio extitisse, vel saltem in vulgum credita fuisse videri possit (LIII. LIV.), tamen duæ humationis causæ præcipuo ponendæ sunt loco. Prima non tam ex necessitate conservandæ vitæ, & valetudinis, quam ex virtutis, morumque præceptis derivata fuit: ut nimirum alii funebri hac pompa, tum sepulcris ipsis, ceu a gravissimis oratoribus, sibi quoque moriendum esse admonerentur, & hac mortis consideratione ad sancte, pieque vivendum incitarentur, quam exequiarum, & sepulturæ causam egregie proponit S. Joan. Chrysostomus (*f*): *Circa monumenta philosophantur, quid simus, multa garientes; egressi vix a sepulcris, statim humilitatis obliti sumus &c.* Inde etiam est, quod passim in cœmeteriis nostris ossa mortuorum, in cumulum aggesta, prætereuntium oculis exhibeantur. Si autem

(*e*) Lib. X. Æneidos.
(*f*) Ecloga de morte Tom. VI. fol. 926.

tem ſint, qui putent, hanc ipſam, de qua loquimur, ſepulturæ rationem apud Chriſtianos potius locum habuiſſe, ad gentiles non pertinuiſſe, illis Marci Tullii authoritatem opponimus, qui de Alexandro M. memoriæ prodidit: (*g*): *Quam multos ſcriptores Magnus ille Alexander ſecum habuiſſe dicitur? Atque is tamen, cum in Sigæo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, o fortunate! inquit, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.* Itaque Archillis tumulus fuit, qui aculeum in Alexandri animum demiſit. In eundem finem & epitaphia antiquis inventa ſunt, quæ tranſeuntes viatores ad laudes defunctorum accenderent, & ad præclara facinora obeunda hortarentur.

§. LVI.

Altera ſepulturæ cauſa, eaque princeps, & cogens extitit, ut, quemadmodum Lucius Annæus Seneca Philoſophus, vir ille excellentis ingenii, atque doctrinæ advertit (*h*), hominum cadavera viſu, & odore fœda a viventium medio amoverentur. Sunt autem hæc Senecæ verba: *Non ſepultorum cauſa, ſed vivorum inventa eſt ſepultura: ut ſcilicet corpora & viſu & odore fœdata moverentur.* Profecto, ſi cadavera non putreſcerent, ſi nec aſpectu hor-

D 5 ri-

(*g*) In oratione pro Archia Poëta.
(*h*) Operum Tomo. II.

rida evaderent, nec fœtore abominanda (XVII. XVIII — XXII. XXIII. XXIV.), nihil magnopere impelleret, ut sepeliantur; sed crebro retinerentur caræ defunctorum reliquiæ, & majore sæpe pretio, quam vel statuæ, vel imagines, mortuos referentes, haberentur. Verum cum adeo fœda sit cadaverum corruptio, ut ferri a nemine viventium possit (XVIII — XXII.), nullus dubio relictus est locus, hanc ipsam, quam Seneca statuit, unicam, primariam, & urgentissimam sepulturæ causam extitisse (XXVI). Ceteras causas (LIII. LIV. LV.) aut superstitio, aut in suos pietas, aut quæcunque philosophandi ratio excogitavit, adjecit.

§. LVII.

Et vel inde eo clarius elucescit, recte illos veteres sensisse, qui sepulturam in jure naturali fundatam asseruerunt (LIV.), quamvis illi æquitatem potius, quæ defunctis, quam justitiam, quæ vivis deberetur, respexisse videantur. Sed ut cadavera terræ mandentur, non ad æquitatis solum, sed ad justitiæ quoque officia pertinere, & ipse Magnus Hugo Grotius memoriæ prodidit (*i*), & evidentius deinde intelligemus, cum ostenderimus, quantum ad sanitatis, vitæque nostræ conservationem intersit, ea ita a viventium consortio amoveri, ut corruptione sua, quam

(*i*) De jure Belli, ac Pacis Lib. II. cap. 19. §. 2.

quam fieri poteſt, minime, quem ducimus, aërem inquinent. Si vero conſervare vitam, ſanitatemque non æquitatis pondere, ſed juris naturalis cogente imperio obligemur, quidni illa omnia, quæ ad deſtructionem noſtram apta nata ſunt, a nobis propulſare eodem jure cogimur? Cadaveroſum vero halitum exhalationum pene omnium teterrimum, & nocentiſſimum eſſe, & hactenus hinc inde animadverſum eſt (LVI.), & deinde ſeorſim multis, ac invictis argumentis evincetur; ſepultura itaque, & quidem illa, cujus beneficio vel maxime a teterrima hac exhalatione immunes cuſtodimur, æque in jure naturæ fundata eſt, ac conſpicua illa lex: CONSERVA TE.

§. LVIII.

Utut autem ſepultura veteribus qua demum cunque de cauſa (LVI.) magni fuerit æſtimata, nihilominus fuere, qui ejus curam plane abjecerunt, quaſi nihil intereſſet, periturum corpus quæ ratio conſumat, cum quidquid feceris, omnia eodem redirent. Quam in rem apud Lucanum extat locus (*k*):

Nil agis hac ira; tabesne cadavera ſolvat,
An rogus, haud refert: placido natura receptat
Cuncta ſinu, finemque ſui ſibi corpora debent.

Et

(*k*) Libro VII. de bello Pharſalico.

Et Seneca (*l*) neminem de ſupremo officio rogat, nulli reliquias ſuas commendat; quoniam, ne quis inſepultus maneret, rerum natura proſpexiſſet, quemque ſævitia projeciſſet, dies conderet. Nihil Theodori Cyrenæi intereſt, humine, an in ſublime putreſcat (*m*), id eſt, ſuper terram, an infra. Quo Diogenes ille cynicus in ſepulturam ſuam animo fuerit, dum projici ſe inhumatum juſſit, Cicero (*n*), & Stobæus (*o*) teſtantur. Sed hæc ſufficiant, ut liquidum ſit, quam nihili ſepultura veterum quibusdam habita fuerit. Abſurdam philoſophiam! nihil magniloquentium iſtorum philoſophorum intereſt, ſupra terram, an infra putreſcant. Concedamus. At vero viventium intereſt amoveri fœda cadavera, & procul a ſocietate profunde infra terram recondi (LVI. LVII.).

§. LIX.

Neque tamen iſta quorundam hallucinandi, dicam, non philoſophandi, ratio (LVIII.) communi ſepeliendi conſuetudini nocuit. Alii enim, iidemque cultiores ſepulturam non ſolum receperunt, retinuerunt (XLII. XLIII.), ſed etiam majus quoddam pretium eidem ponere didicerunt

runt

(*l*) Epiſtola XCII.
(*m*) Cic. Lib. I. Tuſc. Quæſt. Seneca Lib. de animi tranquil. cap. 45.
(*n*) Lib. cit.
(*o*) Sermone 120.

runt (LIV. LV.), ſepulcraque ipſa, & cœmeteria, omnemque terram, cui cadaver mandatum erat, ſacra, ſancta, atque inviolabilia agnoverunt, ut Sextus Pompejus (p) teſtatur. Unde lex antiquiſſima, ut ex Cœlio Rhodingio conſtat (q): *Ubi corpus hominis demortui condas, ſacer eſto.* Quid porro aliud denotant veteres illæ, ſepulcris inſcribi ſolitæ, formulæ: *Diis manibus ſacrum: Oſſa pia: Cineres ſacri?* *Urnam ſanctam*, qua continentur defunctorum *cineres*; appellat Martialis (r), & Seneca Tragœdus: *Oſſa ſancta, & ſanctas parentis conditi ſedes* (s). Plutarchus (t), dum de legibus Solonis agit, illam maxime commendat, quæ maledicta vetuit in defunctos congerere: *Quoniam*, inquit, *pium eſt defunctos exiſtimare ſacros, ſive ſanctos,* ἱερὰς.

§. LX.

Quamobrem (LIX.) & jurare veteres per ſepulcra conſueverunt teſte Herodoto (u): *Per eos* enim *viros*, inquit, *qui juſtiſſimi, atque optimi apud illos fuiſſe dicuntur, jurant, illorum ſepulcra tangentes.* Et Propertius (w): *Oſſa tibi ju-*

(p) Lib. XVI. de verb. interpret. pag. 436.
(q) Lect. antiq. Lib. XVII. cap. 19.
(r) Lib. IX. Epigr. 31.
(s) In Oedi. Act. 1.
(t) In Solon.
(u) In Melpomene.
(w) Lib. II. Eleg. XVI. v. 15.

juro per matris, & ossa parentis. Et Gregorius M. commemorat (*x*), etiam Christianos in primitiva Ecclesia tacto S. Martyris sepulcro jurasse. Sed & ob eandem rationem, quemadmodum Deorum aræ, ita illustrium virorum sepulcra servis, atque facinorosis asyla fuerunt, atque inviolabilia perfugia, ut constat ex Euripide (*y*), aliisque antiquis Scriptoribus (*z*).

§. LXI.

Ex hac ipsa sepulcrorum sanctitate, ac religione (LIX. LX.) ortum est, ut omnes gentes de sepultura adeo solicitæ fuerint, propriaque habuerint dormitoria, quibus privari pro magna calamitate reputarunt. Illustrissima hac de re testimonia tam in sacris litteris, quam profana historia leguntur. Quanti vero post Abrahamum (XXXVI — XLIII.) sepulturam fecerit Jacob Patriarcha, Philonis verba docent (*a*): *Ubi perlatum est ad Jacob, non, quod verum erat, venditum esse filium &c. Scissis vestibus lamentabundus talia loquebatur: non tam mortem tuam, fili mi, doleo, quam sepulcri jacturam; nam si sepulcrum contigisset, in terra propria, non defuisset mihi solatium ——— extulissem magnifice, nihilque de justis funeribus omisissem &c.* Romani

(*x*) Lib. V. Epist. 33.
(*y*) In Helenam.
(*z*) Spondani Cœmet. Sacra.
(*a*) In libello de Josepho Filio Jacobi.

ni omnibus viribus pugnarunt pro ſepulcris. Sic Appianus (*b*) teſtatur inter cauſas, cur legem agrariam a Gracchis latam Patritii, divitesque Romani admittere recuſaverint, illam non poſtremam fuiſſe, quod impium eſſe crediderint majorum ſuorum ſepulcra iis agris ſita, quos per eam legem relinquere cogerentur, ad alios tranſire.

§. LXII.

Demum ex hac ipſa ſepulcrorum veneratione (LXII.) illud quoque profluxit, ut cadaver inſepultum relinquere immenſæ crudelitatis facinus haberetur; unde factum reperimus, ut plane hoſtium cæſorum cadaveribus ſepulturæ honos tributus ſit. Philippus Alexandri M. Pater, devictis ad Chæroneam Græcis, captivos Athenienſibus gratis reſtituit, occiſis juſta funebria fecit, eorumque oſſa Athenas deferenda curavit (*c*). Alexander M. poſt fuſum ad pylas Amanicas Darii exercitum, cum ſepeliendis militibus ſuis, in prælio cæſis, curam impenderet, Perſarum quoque nobiliſſimis eundem honorem haberi juſſit, matrique Darii conceſſit, quos vellet, patrio more ſepelire: & ejusdem Darii conjugi defunctæ omnem honorem funeris patrii Perſarum more ſervavit; ac demum necatum a ſuis Darium dempta ſibi chlamyde contexit,

at-

(*b*) Lib. II. de bello civili. pag. 355.
(*c*) Polybius Lib. V.

atque regio ornatum cultu ad matrem patrio, regioque more ſepeliendum, ac regiis majorum ſuorum tumulis inferendum miſit (*d*).

§. LXIII.

Quæ cum ita ſint, mirum videri non debet, ſi graviſſimas pœnas ſepulcrorum violatoribus in legibus dictatas invenimus: ut infamiam, mulctam pecuniariam, exilium, manus amputationem, ac ultimum mortis ſupplicium pro facti, ac perſonarum diverſa ratione. Pœnas has exhibent tituli Digeſtorum, & Codicum Theodoſiani, & Juſtinianei (*e*).

LXIV.

Quid quod viſitare quotannis ſepulcra, & ad eadem offerre ſoliti ſint veteres? Quæ viſitationes ſepulcrorum religioſæ adhuc apud Turcas obtinent teſte Gejero (*f*). Ipſa quoque templa gentilium e ſepulcris ſurrexere. Qua de re Prudentius hunc in modum canit (*g*):

Et tot templa Deum Romæ, quot in urbe ſepulcra

Heroum numerare licet; quos fabula manes

Nobilitat, noſter populus veneratus adorat.

Con-

(*d*) Curtius Lib. III. IV. V.
(*e*) De ſepulcr. violat.
(*f*) Lib. de luctu Ebræor.
(*g*) Lib. I. contra Symachum.

Consentiunt priscæ Ecclesiæ Patres : Eusebius, Lactantius, & Clemens Alexandrinus, qui præclare, acute, eleganter, ac erudite religionis gentilis vanitatem perstrinxerunt. Immo vero sunt, qui putent, simulacra quoque, atque Idola suam sepulcris originem debere. Inter quos Diophantus Lacedæmonius (*h*), Vossius (*i*), Seldenus (*k*).

§. LXV.

Si vero defunctorum reliquiæ, & sepulcra tantam sibi apud omnes populos æstimationem pepererunt (LIX — LXIV.), nos quoque merito ab illis jure postulamus, ne pro cultu hoc, àc religione damnum nobis, ac perniciem rependant. Id quidem mortui non cupiunt; sed nec nos experiremur, si mortuos illo & modo & loco, qui fini sepulturæ (XXVI. XXVIII — LVI. LVII.) quam maxime conveniunt, humaremus; sed de recto modo & loco, a quibus tota simplicis humationis (XLI — L.) præstantia, & prærogativa dependet, sub finem Dissertationis disputabimus, nunc de variis, quæ ab omni ævo humandis extra urbes cadaveribus destinata sunt, locis sermonem instituemus.

(*h*) In libris antiquitatum.
(*i*) Lib. I. de orig. & progressu Idololatriæ.
(*k*) De Diis Syris proleg. cap. 3.

§. LXVI.

Et primi quidem mortales, quemadmodum illi convenientiſſimum naturæ, optimumque ſepeliendi ritum (L.LI.) receperunt (XLIII.), ita omnes quoque curas eo intendiſſe videntur, ne hic ritus, adeo in ſe ipſo præſtans, per abuſum malus evaderet, atque viventibus perniciosſus. Quamobrem hi in agrorum ſpeluncis, in montibus, in viis publicis, in locis ab urbibus & hominum cœtu remotis ſepulcra, ac cæmeteria habuerunt. Et licet apud aliquos quandoque poſterioribus ævis ab hac receſſum fuerit conſuetudine, legibus tamen ſaluberrimis priſca humandi ratio identidem in uſum reducta fuit.

§. LXVII.

Atque ut ab ipſo Dei populo hac quoque in hiſtoria exordiamur, Abrahamus, uti jam ſæpius (XXXVI — XLII. XLIII.), quamvis ex alia ratione, meminimus, in ſpelunca illa duplici juxta Ebron Saram uxorem ſuam ſepulturæ commiſit, qui ager ſancto huic Patriarchæ in poſſeſſionem ſepulcri venditus eſt a filiis Heth (*l*). In eadem quoque ſpelunca & Abrahamus (*m*), & Iſaac, & Rebecca, & Lia (*n*), & Jacob (*o*) ſepulti ſunt. Moyſes vero in valle regionis Moab ab

(*l*) Genes. XXIII. 20.
(*m*) — XXV. 9. 10.
(*n*) — XLIX. 31.
(*o*) — L. 13.

ab ipſo Deo terra conditus eſt (XLII.). Joſue in montibus Ephraim ſepulcrum nactus legitur (*p*). Joſephi quoque Oſſa a filiis Iſrael ex Ægypto in Palæſtinam translata, & in Agro prope Sichem terræ mandata ſunt (*q*). Et Eleazar Aronis filius in eodem, quo Joſue, monte tumulatus eſt (*r*). Ita ire per infinita exempla poſſemus. Si vero principes hæ familiæ dormitoria a viventium ſocietate remota habuerunt, an civium, plebejorum, pauperum cadavera intra pagos, civitatesque, ceu nobiliore loco, terræ commiſſa putabimus? Iſtum vero extra urbium mœnia ſepeliendi morem apud Judæos ad ultima usque tempora perduraſſe plurima alia Scripturæ loca demonſtrant. Sic teſte Luca (*s*) viduæ filius extra portam civitatis Naim efferebatur. Idem Evangeliſta virum ruptis vinculis in deſerta aufugiſſe, & in monumentis habitaſſe reliquit (*t*). Itaque monumenta Judæorum fuerunt in locis remotis, deſertis. Et Lazarus extra Caſtellum Bethaniæ in ſpelunca ſepulturæ traditus eſt (*u*). Ipſius denique SERVATORIS noſtri SACRATISSIMUM CORPUS extra Hieroſolymas monumento novo impoſitum fuiſſe dilectus Diſcipulus teſtatur (*w*). Sed & Ju-

(*p*) Lib. Joſua. XXIV. 30.
(*q*) — — — 32.
(*r*) — — — 33.
(*s*) Cap. VII. v. 12.
(*t*) Cap. VIII. vv. 27. etc.
(*u*) Joann. c. II. vv. 30. & ſeq.
(*w*) Cap. XIX. v. 41.

dæi agrum figuli, exhauſtum, & inutilem prorſus, pretio ſanguinis emptum, in ſepulcrum peregrinorum conſtituerunt (*x*). Hæc & plura alia, quæ conſulto mittimus, nonne ſatis evincunt Judæos extra urbes, & caſtella, & in locis, a viventium conſortio ſejunctis, ſepelire conſueviſſe, confer (§. XXIX.). Sed hæc de Hebræis.

§. LXVIII.

Græci Ægyptiorum, Judæorum, & Chaldæorum diſciplinam, prout ipſis proficuum, & publico rerum ſuarum ſyſtemati convenire videbatur, in ſuam quoque utilitatem traxerunt. Et Cecrops quidem Athenarum conditor, & primus Athenienſium Rex, teſte Cicerone (*y*), lege prohibuit, ne defuncti intra urbem humarentur. Quod prudentiſſimum Cecropis inſtitutum, cum lapſu temporis, ut ex Platone (*z*) patet, negligi, & Græci non intra mœnia ſolum, ſed plane in ſua quisque domo ſepelire inciperent. Solon, inter ſeptem Græciæ Sapientes haud poſtremus, ſua iterum lege, de non ſepeliendis intra mœnia cadaveribus, obſervari præcepit (*a*). Erat autem Athenis juxta Calliſti monumentum ſepulcrum publicum, cui eorum, qui in pugna occubuerant, oſſa inferri ſo-

---

(*x*) Matth. Cap. XXVII. v. 7.
(*y*) Lib. II. de legibus.
(*z*) In Minœ.
(*a*) Melchior Junius Quæſt. polit. Quæſtione CX.

ſolebant. Illis tamen, qui pro univerſa Græcia in pugna Marathonia ceciderunt, eodem in loco monumentum erectum eſt, teſte Thucydide (*b*). Ita & Marcellum, qui Athenis ſupremum diem obiit, extra urbem ſepultum fuiſſe Cicero perhibet (*c*). Idem inſtitutum Siconii quoque (*d*), & Delii (*e*), & Syracuſani (*f*), & Philippus Macedoniæ Rex (*g*) obſervaverunt. Smyrnæorum Cicero (*h*) ſimiliter meminit. In eandem conſuetudinem & Megarenſes, & Phænices deſcenderunt (*i*).

§. LXIX.

Romanos quod attinet, apud hos quoque antiqui inſtituti fuit, ut intra urbem, & domi etiam defunctorum cadavera conderentur, quemadmodum Iſidorus Hiſpalenſis memoriæ prodidit (*k*) in hæc verba: *Prius in domo ſua quisque ſepeliebatur.* Confer Alexandrum ab Alex. (*l*). Unde, ſicut apud Græcos (LXVIII.), ita & apud Romanos remanſit larium, & penatum re-

 li-

(*b*) Gyraldus Cap. XXI.
(*c*) Lib. IV. Epiſt. fam. XII.
(*d*) Plutarchus in vita Arati fol. 1051.
(*e*) Strabo Lib. X. Geographiæ.
(*f*) Cicero Lib. V. Tuſc. Quæſt.
(*g*) Livius Lib. XXX.
(*h*) In oratione pro Flacco.
(*i*) Gygraldus loco citato.
(*k*) Lib. XV. Orig. Cap. II.
(*l*) Lib. VI. Genial. dier. Cap. XIV. & Lib. III. Cap. II.

ligio, qui ea de causa domi a gentibus colerentur. Ad probandam hanc ipsam consuetudinem domesticæ sepulturæ illud tritum quoque faceret Virgilii (*m*), a Patre Fuhrmanno, sedulo ceteroquin rerum Austriacarum scriptore, in opinamenti sui robur adductum:

Ædibus hunc refer ante suis, & conde sepulcro.

Nisi mendum hic subesse cum aliis Virgilii interpretibus literatissimus noster Lambacherus (*n*) contra Fuhrmannum observasset, atque *Sedibus* substituisset, prout castigatæ editiones habent, & nostra Schreveliana cum illis, quæ cum notis variorum, & quæ ad usum Delphini prodierunt.

§. LXX.

Verum anno ab urbe condita tercentesimo Senatus Romanus suasu T. Romilii in Græciam aliasque Græcorum in Italia civitates legatos misit (*o*), ut sapientissimas ubique leges, Solonis præcipue, conscriberent. Has leges anno a reditu Legatorum altero Decemviri primo in decem, postea in duodecim tabulas digesserunt.

(*m*) Lib. VI. Æneid. v. 152.
(*n*) In der zweyten Ausgabe: die Beschreibung und Erklärung der auf dem alten Fleischmark zu Wien, 1759 ausgegrabenen zweyen alten römischen Sargen.
(*o*) Dionys. Halicarnass. Lib. XI. Liv. Lib. III. Aul. Gelius noct. attic. Lib. XX. Cap. I.

runt. Has inter leges, teſte Cicerone (*p*), illa quoque fuit: *Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito.* Igitur illa intra urbem ſepeliendi conſuetudo (LXIX.), ut fœda, ac tetra antiquata per hanc legem, & in totum ſublata fuit. Hæc ipſa lex poſtea anno U. C. CCCCXC. Senatuſconſulto denuo confirmata eſt Duilio, & L. Papyrio Craſſo Coſſ. (*q*).

§. LXXI.

Cum vero ea conſuetudo mortuos extra urbem ſepeliendi (LXX.), ut longinquitate temporis plerumque fieri ſolet, denuo paulatim expirare inciperet, Imperatores Romani edictis publicis eandem in uſum revocare adniſi ſunt. Sic enim Ulpianus habet (*r*): *Divus Hadrianus reſcripto pœnam Statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate ſepeliunt, quam fiſco inferri juſſit, & in Magiſtratus eadem, qui paſſi ſunt, & locum publicari juſſit, & corpus transferri.* Antoninus quoque Pius (*s*), & Deocletianus, & Maximianus (*t*) intra urbem ſepelire prohibuerunt. Et Plato quidem cadavera non ſolum extra urbem tumulanda cenſuit, ſed locum etiam, videlicet agros ſteriles, pro ſepultura de-

 ter-

(*p*) Lib. II. de legibus.
(*q*) Livius Lib. VIII.
(*r*) Lib. XLVII. ff. tit. XIV.
(*s*) Julius Capitol. cap. 12.
(*t*) In eod. de relig. & ſumpt. funer.

terminavit (*u*). Et Cicero de Platone reliquit (*w*): *Vetat ex agro culto, eove, qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro; sed quæ natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat, ea potissimum compleatur; quæ autem terra fruges ferre, &, ut mater, cibos suppeditare possit, eam nequis nobis minuat neve vivus, neve mortuus.*

§. LXXII.

Interea Romæ sepulturæ, quæ in urbe fieri prohibebantur (LXX. LXXI.), secus militares, & publicas vias in Campo Martio, in colle hortulorum, & aliis locis, extra urbem olim sitis, fiebant. Sic ad Flaminiam, Appiam, Latinam, Lavicanam, & quæ erant ceteræ viæ, non tumuli tantum civium, & plebejorum, sed honoratorum quoque, & in republica quondam conspicuorum monumenta visebantur. Quid quod Domitianus in Latina, Septimius Severus in Appia, Didius Julianus in Lavicana, in Campo Martio Imperatorum plures sepulti sunt?

§. LXXIII.

Jam vero quod attinet rationes ejus instituti de sepeliendis extra urbem cadaveribus (LXX.), ea-

(*u*) Lib. XII. de legibus.
(*w*) Lib. II. de legibus sub finem.

earum nonnullas (LVI. LVII — LXVI.) jam meminimus. Eadem enim ratio, quæ pro ſepeliendis cadaveribus militat (LXV.), pro loco etiam pugnat ſepulcrorum (LXVI.). Fuit autem cauſa præcipua, ut urbs, tetro cadaverum odore libera, aëre minus peſtilente inficeretur, quam in rem Iſidorus Hiſpalenſis ſic ſcribit (x): *Prius autem quisque in domo ſua ſepeliebatur. Poſtea vetitum eſt legibus, ne fœtore ipſo corpora viventium contacta inficerentur.* Profecto eadem illa ratio, quam (LVI.) aſſeruimus, principem, & urgentiſſimam extitiſſe defunctorum cadavera movendi, ſapientiſſimos Legislatores commovit, ut cadavera non ſolum quocunque ritu (XXVIII) amoveri, ſed humari etiam (L.), & id quidem extra domos, extra urbes, procul a viventium conſortio juberent (LXVI. LXVII. LXVIII — LXX.), probe gnari ad tuendam viventium ſanitatem non ſufficere, ſi cadavera inſepulta amoverentur, neque finem juſtiſſimæ legis (XXVI— XXVIII — LVII.) obtineri, ſi per illam in domibus, intra urbem, in locis incolarum numero frequentiſſimis, in aëre, variis ceteroquin exhalationibus gravi (I.), rarius a ventis perflato, humare liceret.

§. LXXIV.

Altera ſepulturæ extra urbem ratio fuit, ne cives hoſtem patria in ſepulcra graſſari permitte-

(x) Lib. XIV. Orig. cap. 11.

terent, sed forti, magnoque animo ab urbis mœnibus propulsarent (y). Sepulcra enim sacra semper habita sunt non modo Græcis ipsis, & Romanis (LXV.), sed barbaris quoque nationibus, ut pro iis omnem defensionem nunquam non susceperint; exemplo sit Idathyrsus Rex Scytharum apud Herodotum (z): qui Dario, bello lacessenti, præter alia hæc regessit: *Nobis neque opida sunt, neque agri culti, quos invadi, aut vastari metuentes properemus vobiscum conferre pugnam. Ad quam si opus est continuo devenire, sunt paterna sepulcra, quæ vos cum nacti fueritis, agedum tentate labefactare, & tum intelligetis, pugnaturi vobiscum simus pro sepulcris, nec ne; prius autem, nisi nos ratio traxerit, tecum prælium non conseremus.* Si vero Scythæ pro solis sepulcris arma capere non dubitaverunt; quo tandem animo illos populos hostibus, bellum inferentibus, obviam processisse existimabimus, quos intra mœnia fortunæ, sedes patriæ, Deorum delubra, conjuges, liberi, extra urbem sepulcra, & venerandi majorum cineres ad pugnam accendebant?

§. LXXV.

Demum apud illos, qui cremare solebant (XXXII—XXXVIII.), illa etiam fuit ratio, quæ id

(y) Thom. Garzoni in Piaza univ. Discursu 53. folio 514.
(z) Lib. IV. cap. 127.

id in urbe fieri prohiberet, ne, ut ait Cicero (*a*), rogi fortaſſis aliquando igne urbs incenderetur, aut conflagraret; ſiquidem Aſcanico vetuſtiſſimo Ciceronis interprete perhibente, in funere Clodii iſto igne & ipſa quoque curia flagravit, & Porcia item Baſilica, quæ erat curiæ juncta, ambuſta fuit.

§. LXXVI.

Quamvis vero ratio cadaverum extra urbium mœnia ſepeliendorum graviſſima fuerit, & ex ipſa rerum natura deprompta (XXVI—XXVIII. LVI. LVII. LXXIII.) prohibere tamen non potuit, quo minus primo intra urbes, deinde in templis, & prope ea, initio paucioribus, paulo poſt pluribus, demum promiſcue omnibus ſepulturæ venia concederetur.

§. LXXVII.

Non eſt hic animus rurſus antiquum illud Romanorum inſtitutum repetere, quo ante leges XII. Tabularum intra mœnia, & plane in ſua quisque domo ſepeliebatur (LXIX.). Illum etiam ſepeliendi morem, qui apud Athenienſes contra Cecropiam rurſus legem invaluerat, a Solone poſtea ſublatum (LXVIII.), miſſum facimus. Nec Spartiatarum meminiſſe juvat, qui teſte Plutarcho

(*a*) Lib. II. de legibus.

cho (*b*) Lycurgi lege in urbe, & secus Deorum templa sepulcra construxerunt. Demum nec Ægyptios moramur, qui quædam corpora circum templa defodere (XXXIX.), nec quosdam Æthiopum, qui suos fictilibus in urnis circum templorum septa sepelire adsueverunt (*c*); nec Davidem, & Salomonem, & Roboam, & quæ sunt reliquæ Regum depositiones, quas in civitate David peractas fuisse docemur (*d*). Nec vero, si domesticas illas Atheniensium, & Romanorum sepulturas exceperis, quæ alioquin ut fœdæ, ac tetræ nova lege sublatæ sunt (LXVIII—LXX.), difficile est pro reliquis verba facere. Spartiatæ enim cera, & melle suos condiverunt; Ægyptii cadavera, odoramentis impleta, salliverunt (XXXIX—XLVIII.). Æthiopes fictilibus illis urnis & putridam corruptelam, excluso nimirum aëre libero (XLVIII.), & exhalationem prorsus omnem præcaverunt. Reges vero illi Judæorum & aromatibus procul dubio conditi sunt (XL.), & ob paucitatem in considerationem non veniunt.

§. LXXVIII.

His itaque omnibus (LXXVII.) quasi in transitu memoratis, ab illo solum tempore, quo le-

---

(*b*) De Laconum institutis.
(*c*) Diodorus Siculus Lib. III. cap. 22.
(*d*) Lib. III. Reg. cap. II. v. 10. cap. XI. v. 43. cap. 14. v. 31.

leges XII. Tabularum promulgatæ ſunt (LXX.), hiſtoriam auſpicamur. Atque ut illa, quæ ſunt tempore, ordine quoque ſint priora, omnium primo de urbanis (LXXVII.) ſepulcris agemus.

§. LXXIX.

Quemadmodum nulla eſt reſpublica, quæ non a ſuis quandoque legibus certos homines exemerit, ita Romana præ ceteris, & in ſui forte perniciem, ejus generis privilegiis plurimis eſt gaviſa. Privilegia noſtra quidem ſententia nil ſunt aliud, quam cuniculi, qui legibus, ac ſaluti Reip. damnum, ac ruinam minitantur. Si leges ad juris naturæ lancem examinatæ, ſi juſtæ, ſi æquæ, ſi in Reip. emolumentum, in ſubditorum felicitatem ſunt ſcriptæ, quis adeo ſibi ipſi inimicus eſt, qui ſe iisdem ſubjici beatum non putet? Si vero tales non ſunt, leges non ſunt. Sed e diverticulo in viam.

§. LXXX.

Sicut vero leges aliæ plurimæ, ita illa etiam de non urendis, neve ſepeliendis in urbe cadaveribus (LXX.) vario exceptionum genere (LXXIX.) magis ſenſim, magisque enervata eſt. Licet enim publicum via ad ſepulcrum extra urbem duceret (LXXII.), tamen fuerunt perſonæ, quæ ipſa in urbe ſepulcrum invenere. Sic

Ci-

Cicero certos nos facit (*e*), quemadmodum Clarissimis Viris Valerio Publicolæ, & Tuberto ante legem conditam (LXX.) sepultura in urbe juxta Veliam concessa fuit, ita eorum quoque posteros lege exemptos, parique indulgentia gavisos fuisse. Vestales etiam, quæ quidem, Virginitatis flore intra ministerii tempus delibato, sub porta collina in Campo Martio vivæ defossæ sunt (*f*), si intra idem ministerii tempus, id est, intra annum ætatis tricesimum, illibata virginitate diem suum obiverunt, intra mœnia sepeliebantur. Huc accensebantur Imperatores Romani. Utrumque tradit Servius (*g*): *Imperatores & Virgines Vestæ, quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulcra.* Et Saubertus animadvertit (*h*) in hæc verba: *Sepeliebantur Vestales, veluti Imperatores, aut quibus honoris, virtutisque causa tribuebatur, in urbe, cum reliqui homines extra portas in viis, & agris, quæ loca sepulcralia Augures, ac Pontifices designabant.* Jam vero quinam fuerunt illi Imperatores? An Cæsares, qui urbanæ sepulturæ honore in genere sunt gavisi? Minime (LXXII.). Dictatores itaque fuere, & Duces Romani exercitus, præcipue quos Senatus, Populusque Romanus ob relatam ab hostibus victoriam triumphi honore conde-

de-

(*e*) Lib. II. de legibus ad finem.
(*f*) Livius Lib. VIII.
(*g*) Ad Lib. X. Æneid.
(*h*) Lib. de Sacrificiis. cap. 8.

decoravit, ut teste Plutarcho (*i*) Pyrrhon Lyparæus antiquiſſimus hiſtoricus tradidit; *Illorum enim Imperatorum*, qui poſt Julium Cæſarem regnavere, *ſolus omnium intra urbem ſepultus eſt* Trajanus, *& oſſa ejus collocata in urna aurea in foro, quod ædificavit ſibi, columna ibi poſita, ſunt, cujus altitudo CXI. pedes habet.* Sic reliquit Eutropius (*k*). Julio Cæſari tamen eandem in urbe ſepulturam ante Trajanum conceſſam eſſe Appianus (*l*), & Dion Caſſius (*m*) retulerunt.

§. LXXXI.

Sed hæc (LXXVII—LXXX.) de urbanis gentium ſepulturis. Toſtatus quidem Abulenſium Epiſcopus ſcribit, nunquam fuiſſe morem ſepeliendi corpora mortuorum intra civitates, niſi apud Chriſtianos, eosque prope templa habuiſſe loca in uſum ſepulturæ, quæ Cœmeteria adpellabant. Sed hanc ſententiam pace tanti viri illis ipſis exemplis, quæ de urbana ſepultura modo adduximus, abunde confutatam arbitramur. Non erant ſane Chriſtiani, qui novum illum intra mœnia ſepeliendi morem introduxiſſent. Hi enim perſecutionum tempore in locis abditis, & obſcuris, in Catacumbis ad ſepulcra martyrum ſortis, vitæque neſcii morabantur. Cœ-

(*i*) In Quæſt. Rom. in Græco.
(*k*) Lib. VIII.
(*l*) Lib. IV.
(*m*) Lib. XXLIX. Hiſt.

Cœmeterium, quod longiſſimo tempore in via Appia, urbem inter & Brunduſium ſita, viſebatur, Calixti nomen tulit, quia illud S. hic Pontifex initio Sæculi tertii ædificaverat, & in quo multæ Sanctorum Martyrum, aliorumque fidelium reliquiæ continebantur. An forte urbi poſtea mœnibus junctum fuit? Et licet ſub Conſtantino M., poſita furentium idololatrarum procella, Chriſtiani in optatam orthodoxæ fidei libertatem vindicati ſunt, templa ædificandi facultate ipſis ſimul facta, necdum tamen illos Cœmeteria intra muros urbium, multo minus prope templa ſtruxiſſe, & Panſinii Catalogus Cœmeteriorum urbis Romæ, & Volateranus (*n*) indicant, & Julius Primus Papa ſub Conſtantino Imperatore tria condidiſſe Cœmeteria in totidem viis publicis: Flaminia, Aurelia, & Portuenſi perhibetur; id quod de Alexandrinis Cœmeteriis, extra urbem locatis, affert Hoſpinianus (*o*). Profecto, ſi noſtra iſta hodierna ſepeliendi conſuetudo aliquid neceſſitudinis — haberet, næ primævi illi Chriſtiani, quamprimum perſecutionum fluctibus eluctati ſunt, in templis, & circum illorum parietes ſepeliviſſent!

§. LXXXII.

Interea, licet Chriſtiani non ſint primi urbanæ ſepulturæ, & Cœmeteriorum circum templa

pla

(*n*) Lib. 22.
(*o*) De orig. Cœmeterior.

pla inventores (LXXVII — LXXX. LXXXI.), hi ipſi tamen eum, qui hodiedum viget, ſepeliendi morem auxerunt. Itaque nunc, quæ ſit ſepulcrorum in templis, & cœmeteriorum noſtrorum origo (LXXVI.), videamus Atque ut omnes hujus conſuetudinis radices colligamus, Chriſtiani in templis primo Doctorum ſuorum corpora ſepelire cœperunt (*p*). Ita S. Ambroſius in Baſilica ſibi ſepulturam ſuam elegit (*q*). Sanctorum quoque Martyrum oſſa ex catacumbis, & cœmeteriis ſuburbanis (LXXXI.) in templa, atque ſacella translata, & ſub aris recondita ſunt (*r*). In Hiſpaniæ templis idem factum eſſe Garſias Laoiſa obſervavit (*s*). His Imperatores acceſſere. Conſtantinus M. ſub fornice atrii ad templum illud ſuperbum, quod hodie adhuc Romæ Divo Petro ſacrum ſupereſt, ſepultus fertur (*t*). In eadem Baſilica Honorius quoque Imperator conditus perhibetur. Senſim & Epiſcopis, & Presbyteris, aliisque virtute, ac religione conſpicuis perſonis in templis, ceu locis honorificentioribus, ſepultura decreta eſt. Nihil hactenus, quod magnopere vituperemus (LXXVII.). Neque iſta conſuetudo, ſi hos intra limites permanſiſſet, ullis unquam interdictis

F aut

(*p*) S. Auguſt. Lib. de cura pro mortuis. cap. 4.
(*q*) Sermone 72.
(*r*) Hieronymus, contra Vigilantium, & Ambroſius Lib. X. Epiſt. 85.
(*s*) In caput 18. Concilii Bracarenſis I.
(*t*) S. Chryſoſt. Homil. 26. in Epiſt. 2. ad Corinth.

aut hodiedum coercenda videretur. Sed paulo poſt & conditoribus templorum, & benefactoribus idem ſepulturæ honos tributus fuit; donec tandem defunctis non modo in urbem, ſed in ipſa templa porta late patefieret, adeo ut nefariorum etiam, & ſceleſtiſſimorum, utinam & non etiam impiorum, fœdiſſima cadavera, ut cum GYRALDO noſtro loquamur (*u*), præter majorum leges ac inſtituta eodem cum ſanctis Apoſtolis, & Martyribus jure potirentur.

§. LXXXIII.

Hanc autem licentiam, ut moderarentur, GRATIANUS, VALENTINIANUS, & THEODOSIUS ſanciverunt (*w*): *Nemo Apoſtolorum, & Martyrum ſedem humanis corporibus exiſtumet eſſe conceſſam.* Eundem morem, cum rurſum caput efferre, & latius proſerpere cœpiſſet, concilia plura repreſſerunt. Atque ut Varſenſe (*x*), & Moguntinum (*y*) taceamus, in Bracarenſi I. (*z*), quod ſub Honorio Primo Pontifice initio Sæculi ſeptimi, & Tiburienſe (*a*), quod ſub finem Sæculi noni celebratum eſt, ſtatutum reperimus: ut omnes ſepulturæ extra civitatem, vel etiam, ſi

(*u*) Libello citato cap. 5.
(*w*) Lib. I. C. Juſtinian. Tit. XI. de ſacro S. Eccleſ.
(*x*) Canone 3.
(*y*) Canone 52.
(*z*) Canone 36.
(*a*) Canone 17.

ſi neceſſe ſit, circum murum Baſilicæ fierent, nullusque Laicus in Eccleſia ſepeliretur, ſed in communi cœmeterio. Eadem cauſa in Conciliis: Arelatenſi 813, & Nanetenſi 850 ventilata eſt. Sed demum & CAROLUS M. conſtituit: ut nullus deinceps mortuum in Eccleſia ſepeliat (*b*).

§. LXXXIV.

Interea antiquiſſima illa lex de non ſepeliendis intra mœnia cadaveribus (LXVIII — LXX) eo ipſo tempore, quo tanto fervore, & quaſi mutuo utriusque poteſtatis certamine (LXXXIII.) defenſa eſt, non conſuetudine ſolum tacita, ſed demum reſcripto etiam publico Leonis Philoſophi Imperatoris (*c*) valore ſuo prorſus exuta, nulla amplius ratione priſtinum recuperare vigorem poterat: ita tandem, quemadmodum olim paganorum delubra ex heroum ſepulcris ſurrexere (LXIV.), nunc Chriſtianorum templa — pro majorum noſtrorum ſancta inſtituta (LXXXI — LXXXIII.) deperdita! — in communia abierunt defunctorum dormitoria. Et licet quidem Novellarum Leoninarum *Auctoritas nunquam obtinuit in occidente*, & *paulo poſt etiam in oriente eviluit* (*d*), hæc ipſa tamen conſtitutio, qua Leo circa ſepulturam omnem perficiendæ voluntatis

 fa-

(*b*) Lib. I. Capitul. Reg. Galliæ cap. 158.
(*c*) Novella 53.
(*d*) Clariſſ. Martini Hiſt. Juris civil. cap. 8. §. 19.

facultatem conceſſit, utut infirma, & elumbis, non recepta modo ubique eſt, ſed diligenter etiam obſervata. Adde, quod ab anno 911. quo Leo leges condere deſiit, nulla extent interdicta, quæ ipſius reſcripto derogarent. Ut adeo mirum non ſit promiſcuæ ſepulturæ morem perpetuo uſu ad noſtram usque ætatem perduraſſe. Et inde quoque profectum eſt, ut templa fornice ſubterraneo per magnam ædificii partem inſtruerentur, quibus mortuorum cadavera inferuntur ſeriatim juxta & catervatim ibi unum ſuper alterum loculum ponendo. Ex his fornicibus in plateas, vel cœmeteria ampla patent ſpiracula, per quæ aura purior intret, corrupta egrediatur.

§. LXXXV.

Sed & cœmeteriorum noſtrorum circum templa origo facile ab uno quoque divinatur. Cum enim major eſſet omni tempore cadaverum numerus, quam dictis fornicibus (LXXXIV.) capi ut poſſet, aut cum plerique minus digni, qui in templis computreſcant, judicarentur, hi nobiliore dormitorio excluſi circum templorum muros ſepeliebantur, & hodiedum ſepeliuntur.

§. LXXXVI.

Viennæ ſuburbia in plures, urbs ipſa in tres principes diviſa eſt Parœcias (*e*). Itaque in

(*e*) Sunt præterea intra mœnia duæ minores Parœciæ: ad Divam Virginem in litore: & ad S. Spiritum in Xenodochio civico.

in urbe tria quoque templa ſepeliendis intra mœnia cadaveribus potiſſimum dicata ſunt. Primum eſt Metropolitanum, Divo Stephano Proto-Martyri ſacrum, maximum, & capaciſſimo fornice ſubterraneo inſtructum; alterum S. Michaëlis; tertium D. V. ad Scotos. Accedunt multæ aliæ, ſed præcipue variorum utriusque ſexus ordinum Eccleſiæ, omnes pariter cryptis amplis ſuperſtructæ; ſed quæ privatæ magis, & quaſi domeſticæ Religioſorum ſepulturæ deſerviunt; licet & in his familiæ quædam, præcipue nobiliores, ſua habeant ſepulcreta. Cœmeteria quidem in urbe circum muros templorum noſtra hac ætate ſunt nulla; & illud ad D. Stephanum CAROLI VI. glorioſiſſimæ memoriæ Romanorum Imperatoris interdicto proſcriptum eſt. Sed vel ex hac ipſa ratione in templi ipſius ampliſſima caverna, tum in ceteris cryptis ab illo tempore frequentiores fiunt cadaverum depoſitiones.

§. LXXXVII.

Verum enimvero hæc ipſa, quæ nunc fere ubique in nobiliſſimis totius Europæ urbibus, & in hac quoque noſtra AUGUSTISSIMORUM PRINCIPUM, & tot illuſtrium proſapiarum prægloriosiſſima ſede, civitate donata eſt, peſſima promiſcuæ in templis ſepulturæ conſuetudo non poteſt non omnes medicos, quibus civium ſalus cordi eſt, ſuos oppugnatores habere. Sed jam oppugnarunt hoc inſtitutum ante nos mul-

ti eruditiſſimi æque, ac longa multarum rerum experientia graviſſimi Viri: THOMAS PHILOLOGUS RAVENNAS (*f*), LILIUS GREGORIUS GYRALDUS (*g*), ERNDTELIUS (*h*), ARBUTNOT (*i*), MAGENZIE (*k*), ERLICHIUS (*l*), SAUVAGE (*m*), HAGUENOT (*n*), ALBERTUS (*o*), TRALLES (*p*), quibus addi meretur egregia Diſſertatio (*q*), quam WETSCHIUS noſter in germanicam linguam tranſtulit. Heic multos alios authores, quos vel jam citavimus (XI. XX. LVI. LXXIII.), vel deinceps citaturi ſumus, tacitos relinquimus. An autem hi auditi ſunt omnes? An non plerique fruſtra dixerunt? Ita ſane, pro dolor! Qui enim fieri aliter potuiſſet, ut hodiedum, & quidem in hac tanta artium, atque ſcientiarum pene omnium luce Regna propemodum omnia in re maximi ad vitam, ſanitatemque momenti cæcutirent?

§. LXXXVIII.

(*f*) In tractatu de vita ultra 120. annos protrahenda.
(*g*) Libello de ſepultura, & vario ſepel. ritu.
(*h*) Varſavia phyſice illuſtrata. cap. 2.
(*i*) De effectibus aeris.
(*k*) Hiſtoria ſanitatis. Parte 2. cap. 2.
(*l*) In tractatu: Mors ex ſepulcris.
(*m*) Actis Upſal. 1742.
(*n*) De noxia in templis ſepultura.
(*o*) De ſalubri ſepulcrorum translat. extra urbem.
(*p*) De tuenda ſanit. ad Regem Poloniæ §. 20. & ſeq.
(*q*) Gazette ſalutaire. 1761. n. 9. 10.

§. LXXXVIII.

At illi quidem omnes (LXXXVII.) animam ſaltem ſuam in tuto collocarunt; nos autem & hoc ipſum optamus, & illud quoque, quod illi impetrare haud potuerunt, eventurum confidimus, ut non ſolum in hac florentiſſima civitate, ſed per univerſam etiam Europam Auſtriacam melior poſthac ſepeliendi conſuetudo introducatur. Et quis eſt, qui ſpe nos iſta deturbet? Hanc nobis quæ fecit, ipſa Patriæ MATER, IMMORTALIS MARIA THERESIA fuit, dum XIV. Calendas Martii 1771. ab excelſo inferioris Auſtriæ Regimine, & a Senatu, cujus curæ, atque vigilantiæ populorum ſuorum ſanitatem commiſit, reſcire voluit, an non illam, qualis hactenus in uſu fuit, promiſcuæ in templis ſepulturæ conſuetudinem (LXXXVI. LXXXVII.) vel immutari, vel, ſi id fieri commode nequiret, hac prorſus ſublata, convenientiorem humandi rationem iniri oporteret. Qua in re eo usque progreſſa eſt INCOMPARABILIS AUGUSTÆ providentia, ut plane de illis cadaveribus, quæ jam cryptis templorum illata ſunt, ſi quid inde reſp. quoad ſanitatem detrimenti pateretur, extra urbem transferendis conſuleret. Sane hæc tanta, quæ divinum OPTIMÆ PRINCIPIS animum in noſtram omnium ſalutem attentiſſimum facit, ſolicitudo, ſi ab unoquoque cordato cive impetrare potuiſſet, ut de hoc argumento, quamvis nunquam antea cogitaviſſet, nunc tamen pertractando co-

gitaret, quid tandem apud nos, qui jam dudum cogitavimus, efficere non debuit?

§. LXXXIX.

Quamquam vero ex illa, quam hactenus perpetuo quodam filo texuimus, Orationis tella prompta, evidensque fluat conclusio: abrogandum istum nostrum (LXXXVI.) in sepeliendis cadaveribus morem esse, & aliam prorsus iniri humationis methodum, quæ sit ad AUGUSTÆ mentem (LXXXVIII.), nostramque salutem accommodatissima, oportere; hac tamen seorsim Dissertationis parte, quemadmodum (XXV— LVII.) polliciti sumus, omnia, quæ hanc in rem & auctoritas, & ratio, & experientia suppeditabunt, argumenta omnium oculis, animisque altiore voce subjiciemus.

§. XC.

Agedum itaque, rationes omnes, quæ usitatum nostris temporibus sepeliendi modum (LXXXVII.) pessimum, vitæque omnium nostrum ac sanitati periculosissimum demonstrent, sepositis partium studiis, & libero a præjudiciis animo ponderemus. Sed vos cumprimis adeste, qui nobis sanctissima illa mutui amoris officia gravissimo toties verborum pondere commendare soletis, tantaque vocis, & animorum contentione pro reverentia sacris ædibus debita peroratis!

tis! Laudabilia ſunt hæc veſtra ſtudia, egregii conatus, noſtroque non ſolum aſſenſu, ſed etiam obſequio digniſſimi; verum

Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam (*r*)?

Videte, an cum templorum ſanctitate, an cum civium in illa quotidie confluentium bono conſentiat, ſi in his ipſis obſcœna ſordidiſſimæ putrilaginis ſentina, & fœtoris intolerabilis, morborum, mortisque feraciſſimum ſeminarium conſtituatur! Ac omnium quidem primo, quidquid hucusque argumenti in diverſis Diſſertationis partibus dictum eſt, ſuccincta anacephalæoſi complectamur.

§. XCI.

Quamvis autem auctoritas nuda in rebus phyſicis minimum habere pondus debeat; ſi tamen ab iis, qui ſæculorum omnium conſenſu inſignem ſibi ſapientiæ famam conciliaverunt, aliquid aut præceptum, aut factitatum reperimus, id in præſentem cauſam allegare haud alienum videtur. Hebræi a Protopatriarchæ ſui ævo usque ad Hieroſolymarum, & Politiæ Judaicæ excidium per Titum Veſpaſianum mortuos ſuos in locis ab urbibus, & viventium cœtu remotis humabant (LXVII.). Hunc populum ſingulari ac manifeſta Numinis providentia,

 at-

(*r*) Juvenalis Satira I. v. 1.

atque perpetuis ſacrorum Vatum conſiliis gubernatum, quis eſt, qui hac in re erroris incuſet? Cecrops Ægyptiorum diſciplinis imbutus, & poſt illum Solon ſapientiſſimus legum conditor eundem extra urbem humandi morem Athenienſibus præſcripſerunt; quem ritum aliæ plurimæ civitates ſervaverunt (LXVIII.); & Divinus Plato, qui tot rebus publicis leges, ac inſtituta dedit, agros ſteriles humandis cadaveribus aſſignavit (LXXI.), hominemque ita habendum cenſuit, ut neque vivus, neque mortuus hominum cœtui, ac ſocietati ſit incommodo. An vero id & a prudentiſſimis Legislatoribus adeo ſolicite præceptum, & a tot populis factitatum fuiſſet, ſi a corporibus intra mœnia, intra ædificiorum parietes putreſcentibus nihil noxii, quod vitæ, ſanitatique obeſſet, pertimuiſſent, aut non jam etiam triſti antea experientia didiciſſent? Apud Romanos primævus intra mœnia, & in domibus corporum condendorum mos (LXIX.) poſtea non ſolum lege XII. Tabularum, ſed novo quoque Senatusconſulto, ut fœdus, atque teter ſublatus eſt (LXX.). Quam legem varii quoque Imperatores Romani primis Eccleſiæ Sæculis novis identidem reſcriptis confirmaverunt (LXXI.); & ipſi ſancti Pontifices, cœmeteriorum extra urbem conditores, & Alexandrini obſervarunt (LXXXI.). Cum vero poſito tyrannorum furore irrepere denuo in urbes, & in ipſa templa ſepultura cœpiſſet (LXXXII.), rurſus hæc licentia quatuor Imperatorum interdi-

dictis, & plurium Conciliorum constitutionibus repressa est (LXXXIII.). Atque hæc sunt authoritatis pondera.

§. XCII.

Nunc principia, ex quibus in causam nostram evidentia fluunt corollaria, & rationes, ipsas sparsim hactenus dictas, colligamus. Putridarum aquarum effluvia, carcerum, Xenodochiorum aër ab omni tempore admodum insalubria sunt deprehensa; itaque, si aquis stagnantibus defluxus conciliatur (IV.), si Xenodochiorum aura corrigitur, Xenodochia locis apertis, & aëre perflato extruuntur (XI.), quo probari pacto mos ille poterit, quo subterraneæ templorum cavernæ non aquis stagnantibus, non ægris, vel captivis, sed fœtidissima putrilagine diffluentibus mortuorum corporibus complentur (LXXXII— LXXXIV. LXXXVI.)? Si sanguis fœminæ, maligna febre laborantis, ita fœtore suo adstantes afficere potuit, ut in animi deliquium inciderent, si ulceris maligni, si cancri aperti odor præsentes in fugam conjicit (XVIII.); si brutorum putrefacta cadavera adeo & nidore detestanda (XIX.), & sanitati, vitæque nostræ infensa sint, & cito summa diligentia a viventium cœtu removeantur (XX. XXI.); quid de graveolente illa mephiti, quam longe deterior humanorum corporum dissolutio expirat (XXII. XXIII. XXIV.), concludemus? An minus illam venenatam, fugiendamque putabimus?

§. XCIII.

§. XCIII.

Sane si fœdissima hæc, & abominanda corruptela fuit, quæ omnes populos defunctorum cadavera amovere, ritu licet diversissimo, coegit (XXVI. XXVII. XXVIII.); si Æthiopum quidam, arefactione, gypso, & vitris (XXXIV.), quidam fictilibus urnis (LXXVII.); si Ægyptii, Hebræi, Persæ, Assyrii, Lacedæmonii vario conditura genere a cadaveroso sibi halitu cavendum censuerunt (XXXIX — XLVIII.), si Græci, aliique populi plurimi, si Romani & humaverunt defunctos (XLIII.), & procul a viventium conturbernio sepulturæ locum quæsiverunt (LXVI. LXVII. LXVIII—LXX. LXXI. LXXII.), ne, si cadavera visu, & odore fœdata (LVI.) non moverent, fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur (LXXIII.); si denique sepultura non mortuorum causa, sed vivorum inventa sit (LVI.), non ad æquitatis solum, sed ad justitiæ quoque officia pertineat (LVII.); si sepulturæ finis (L.), nisi cadaveribus procul amotis, nullo obtineri pacto possit (LXXIII.); quandiu etiamnum nostra ista, ponderosissimis rationibus adeo opposita, sepeliendi consuetudo retinebitur? An alia hodie, quam olim cadaverum putredo? Alius fœtor? Alia, vel forte nulla nocendi vis?

§. XCIV.

At vero si hæc ipsa, quibus hactenus (XCI. XCII. XCIII.) usi sumus, argumenta nec ad convin-

vincendum ſatis apta, nec ſatis ad commovendos animos terribilia exiſtumantur, alia nobis ſuperſunt rationum momenta, quæ in hunc usque locum proponenda reſervavimus.

§. XCV.

Atque ut ab evidentioribus ordiamur, illas primo ſtrages, quas cadavera vel tardius, vel omnino non humata, vel negligenter projecta ediderunt, commemoremus. Sicut vero in hiſtoria omnium temporum triſtiſſima paſſim occurrunt maximarum calamitatum exempla, quas brutorum, & inſectorum putrefactio induxerunt (XX), ita longe adhuc frequentius humana cadavera, ſi poſt prælia inſepulta jacuerint, infecta putridiſſimis effluviis atmoſphæra, morbos peſſimos, luctuoſiſſima contagione graſſantes, excitaverunt, ut reſiduam ſæpe exercitus partem, quam martis ſors non perculit, peſtis furor conſumpſerit. Cumque, quod ſeorſim notat Ill. Mead (*s*), prælia plerumque æſtate committantur, haud mirum eſt, æſtum agentem in inſepulta cadavera, & humores inteſtino motu agitantem extricare particulas has agiles, volatiles, oleoſas, fracidas, fœtidiſſimas, quæ ſuis evolutæ carceribus aërem, cujus ſpecifica gravitate extruduntur (II.), magna copia onerant, & venenoſum efficiunt. Adeo autem hoc ipſum, ſi

(*s*) De venenis tractatu 5. pag. 155. Edit. Lugd. Batav.

ſi nullus etiam hiſtoricorum quidquam de hac re litteris conſignaſſet, perpetua quadam omnium populorum traditione certum eſt, ut in commune proverbium abiverit: bella præſertim diuturna, fame humores prævio vitio corrumpente, peſtem preſſo plerumque pede ſequi. Et licet peſtis Ægypto endemia dicatur, tamen hæc & in illa ipſa regione non alia forte ex radice, quam ex perpetua aquatilium, annuis Nili exundationibus in utramque ripam ejectorum, putrefactione enaſcitur; qua igitur negari ratione poterit, ex ingente putridiſſimorum cadaverum, præcipue humanorum, copia idem ubicunque locorum exoriri malum poſſe, quin neceſſum ſit, ut id a Nili litoribus aut ventis, aut alia quacunque via in remotas orbis plagas transferatur?

§. XCVI.

Sed quod ratio docet (XCV.), experientia jam dudum confirmavit. Ita tempore Conſtantini M. a non humatis poſt pugnam cadaveribus peſtilentialis morbus obortus eſt (*t*). Ita, ut antiqua mittamus, in Polonia cruentæ Suecorum victoriæ calamitoſiſſimæ peſtis cauſa extiterunt (*u*). Et quid obſtat, quominus, miſſis pluribus antiquioribus (*w*), in quarum cauſas in-

(*t*) Ammianus Marcellinus Lib. XIX.

(*u*) Tralles Op. cit. §. 23.

(*w*) Peſtis Viennæ, & in vicinis locis graſſata eſt 1187. 1193. 1224. 1270. 1282. 1349. 1370. 1411. 1419. 1425. 1444. 1480. 1506. 1521. 1529. 1541. 1570. 1583. 1586. 1625. 1633. 1679. 1683. 1712. Vide Fuhrmanum noſtrum.

indagare minus forsan necessarium, quam difficile fuerit, binas illas ultimas calamitates, quarum una 1679 & 1683, altera 1712. Viennæ, & per inferiorem Austriam, Styriam, Carnioliam magna hominum strage sæviebant, eadem ab origine repetamus? Siquidem Hungaria, sempiternum illud bellorum theatrum, & quasi publicum innumerabilium cadaverum feretrum, atmosphæra sua, putridissimis exhalationibus infecta, vicinarum quoque provinciarum auram contaminavit. Hoc malum ex cadaverum corruptione metuendum jam olim Alexandrum M. Aristotelis — quanti Magistri! — præceptis eruditum commonefecit, ut fuso ad Arbelam Darii exercitu, ingente opum vi, quæ in urbem ad spoliandum invitabat, moras haud injiciente, versus Babylona, ceu prudentissimus Imperator, castra moveret (x).

§. XCVII.

Non equidem negamus vindicem Numinis iram quandoque ob immane aliquod scelus ad puniendum provocari, quemadmodum Davidem Regem castigatum sacræ litteræ testantur (y), dum atroci hoc flagello (XCVI.) septuaginta hominum millia e medio sublata sunt. Interea tamen illud quoque historicorum fere omnium testi-

(x) Diod. Siculus Lib. XVII. Biblioth.
(y) Reg. 2. cap. 24. v. 15.

ſtimoniis veriſſimum eſt, ſicut alia ex aliis cauſis mala, ita morbos putridiſſimos, contagioſos, peſtilentiales præcipue ex intolerabili illa, & venenatiſſima putreſcentium cadaverum mephiti exoriri. Id quidem hactenus allata (XCV. XCVI.) ſatis comprobant; ſed & Ambroſius Pareus (z) morbum deſcribit, qui anno 1562. in Aquitaniæ tractu Aginnenſi longe, lateque crudeliter graſſabatur; etenim puteus, in quem duos ante menſes numeroſa interemptorum hominum cadavera projecta fuerant, centum licet ulnas profundus, tam fœtentem, tamque venenatum aërem exhalavit, ut, hoc conſpirantibus ventis, per viginti in ambitum milliaria ſe diffundente, multa hominum millia paſſim per totam Provinciam, tanquam a peſte, interirent.

§. XCVIII.

Sed hæc (XCVII.) quidem a nemine in dubium revocantur. Utrum vero ipſæ templorum cavernæ, utrum cœmeteria tantam cadaveroſorum halituum copiam in auras emittant, ut inde ſanitati, vitæque civium notabilis noxa inferatur, erunt forte non pauci, qui dubitabunt. Hoc itaque nunc ſupereſt diſcutiendum. *Quando in urbibus*, inquit Kittelius (*a*), *& in templis mortui ſepeliuntur, metuendum eſt, ne aer*

(z) Chirurgiæ Lib. X. cap. 13.
(*a*) De antiq. funer. ritu. Poſit. II. §. 5.

aer præſertim concluſus vaporibus, e ſepulcris exhalantibus, vitietur. Halitus enim tanto copioſiores exhalant, quanto locus eſt concluſior, & ob hominum frequentiam tepidior. Ut non dicam de arena, ſive ſabulo, & terra, in qua cadavera mortua plura computruerunt, & quæ in templis ſolent pluribus annis retineri, quam nempe ea tota ſit imbuta materia non tantum fœtida, ſed etiam venenata quaſi, quam materiam ad vivos exhalare neceſſe ſit, quando monumentis apertis ſabulum iſtud movetur, & effoditur, ut hac de re loquitur Bartholomæus Keckermannus ſyſtemate politico Libro I. cap. 3.

§. XCIX.

Agite, hoc ipſum (XCVIII.) rationibus, ab experientia petitis, firmemus. An eſt quisquam, qui non aliquando in ſacris ædibus, in quibus ingens eſt ſepulcrorum numerus, præcipue æſtate, & tum maxime, quando ob demortuorum copiam cryptæ, & ſepulcra crebro aperiuntur, cadaveroſam illam, & nauſeoſam fracedinem invitus, & non ſine horrore perſenſiſſet? Quoties illis, quorum nervi paulo magis ſenſiles, irritabiles, nidoroſus hiç halitus horripilationem, anxietatem, nauſeam, virium exolutionem, vertiginem, &, niſi cito in apertum aëra efferantur, apoplexiam minitatur? Neque mirari ſubit, quod veſpillonem nullum ſenem viderit Ramazzini (*b*),

(*b*) De morbis artificum cap. 13.

ac de uno narret, quod amoto ſepulcrali lapide, juvenem, paucos ante dies ſepulcro immiſſum, ſpoliaturus, illico ſupra cadaver mortuus corruerit. Febrem malignam veſpilloni funeſtam ex ſepulcrali atmoſphæra refert Gockelius (*c*). Et ſimilem tragicam hiſtoriam obſervatores Vratislavienſes conſignaverunt (*d*). Subitaneam mortem obortam fuiſſe, quoties graveolens vapor integra ſua vi deleteria aperto ſepulcro hominem invaſerit, viri fide digniſſimi: Cardanus (*e*), Lanciſius (*f*), Bartholinus (*g*), Panarolus (*h*), Sauvage (*i*), Labat (*k*), Bruhier (*l*), aliique plures retulerunt. Inter ceteras autem, quæ huc faciunt, obſervationes, illa certe notari vel maxime meretur, quam Ill. Haguenot (LXXXVII.) de tribus hominibus publici juris fecit, qui, ſimul ac in cryptam ſepulcralem deſcenderant, ſubitanea morte extincti ſunt. Teterrimus halitus, qui, inde prorumpebat, veſtibus adeo adhæreſcebat, ut has diu cadaveroſi aliquid olere faceret; flammam ardentis chartæ, & facis confeſtim extinguebat; animalibus immiſ-

---

(*c*) Centuria 2. Obſervatione 33.
(*d*) Breßlauiſche Sammlung von Kunſt = und Naturgeſchichten. 1719. Jul.
(*e*) De aëris transmutatione pag. 59.
(*f*) De noxiis palud. effluv. Lib. II. Epid. I. cap. 2.
(*g*) Centuria IV. Hiſtoria 33.
(*h*) Jatralog. Pent I. 18.
(*i*) Effets de l'air pag. 54.
(*k*) Voyage d'Italie Tom. IV. pag. 98.
(*l*) Des ſignes de la mort.

miſſis, felibus, canibus, avibus anxietates, convulſiones, mortem inferebat; lagenis exceptus, & aſſervatus poſt ſesqui menſem eosdem effectus adhuc edebat (*m*).

§. C.

Atque ejusmodi olidi, & putridi nidores (XCVIII. XCIX.), aut e ſepulcris ſubinde reſeratis, aut inter lapidum commiſſuras ex terra arida, ſicca, friabili, aut ex fornicum, ſub quibus loculi adſervantur, ſpiraculis (LXXXIV.) aſſurgentes, non ſolum auram, quæ templorum parietibus continetur, aut vicinam conſpurcant, ſed, dum fomes ſubterraneus perpetuus nunquam deeſt, & continuo inſtauratur, latius extra templa evagantur, atque pro illorum numero, & magnitudine, pro cadaverum copia, & morborum, quibus homines moriuntur, malignitate maximas tandem urbes, nemine plerumque, ſi paucos demas, aut non niſi ſero de hoc malorum fonte cogitante, inficere poſſunt, & deplorandas civibus noxas inferre. Neque vere adeo cuiquam paradoxum videbitur, ſi aſſeramus, antiqua illa flagella, quibus tam crebro majores noſtri vapularunt (XCVI.), cum ex aliis atmoſphæræ Viennenſis inquinamentis (XIII.), tum, & vel maxime, ex ſepulcris enata fuiſſe. Ita

 ſa-

(*m*) Extat Diſſertatio in Memoires de l'Academie de Montpellier. 1764.

ſane ex cadavere putrido in ſarcophago poſt duodecimum ſepulturæ annum integrum templum infectum, & morbum per religioſum ordinem ſparſo contagio divagatum notavit Peniher (*n*). Atque Lectoræ in Agro Armeniacenſi Aquitaniæ Cl. Raulin (*o*), malignam, peſtilentialemque epidemiam natam memorat, propterea quod cœmeterium aperiretur. Quid jam opus eſt meminiſſe duarum fœminarum, quæ in vicinia ſepulcri, jam lapide tecti, cui præcedente die cadaver illatum eſt, dum concioni ſacræ intereſſent, hauſto graveolente halitu, brevi ipſæ ſepulcro illatæ ſunt? Quid juvat recordari velocis fati elegantis, ac virtutibus ornatiſſimæ mulieris, quæ cœmeterium cadaveribus onuſtum curru prætervecta, levi ventulo putidam atmoſphæram afflante, confeſtim nauſea, horripilatione, dolore capitis correpta, & febre peſſima ſuccedente intra quatriduum extincta eſt (*p*)?

§. CI.

Profecto, ſi enarrandis hujus generis (C.) triſtiſſimis eventis inſiſtere vellemus, nullum oratio finem inveniret. An igitur dubium cuiquam videbitur illud, quod Henricus Screta (*p*) reliquit, quosdam curioſitate ductos ſubterra-
neas

(*n*) Des Embauemens. pag. 216.
(*o*) Obſervat. de Medecine. pag. 390.
(*p*) Tralles Op. cit. §. 24.
(*q*) Tractatu de febribus caſtrens. Sect. 1. c. 5.

neas Romæ collapſorum ſepulcrorum ſpeluncas intus videndi, a fœtidis exhalationibus fuiſſe enectos? Hæc absque dubio, ac infinita alia argumenta Celeberrimum olim apud Lovanienſes Anatomicum PHILIPPUM VERHEYEN commoverunt, ut inſigni ad imitationem exemplo Epitaphium ſequens, propria manu ſcriptum, ac pro omni teſtamento relictum, ſibi poſt mortem erigi juberet (*r*):

PHILIPPUS VERHEYEN
MED. DOCTOR ET PROF.
PARTEM SUI MATERIALEM HIC
IN COEMETERIO CONDI VOLUIT,
NE TEMPLUM DEHONESTARET,
AUT NOCIVIS HALITIBUS INFICERET.
R. J. P.

§. CII.

Sed hæc etiam exempla fuerunt, hæ toties e ſepulcris renatæ mortes (XCIX. C. CI.) quas AUGUSTA MARIA THERESIA pro eo, quo in ſubditorum ſalutem tota rapitur, amore animo complexa videtur. Quod ſi vero cum illis etiam, quorum ſapientiſſimis Conſiliis utitur, integerrimis viris hac ſuper re deliberavit; ſi

(*r*) ERNDTELIUS loco (LXXXVII.) citato.

MAGNUM antiquiſſimæ hujus Univerſitatis, ac univerſæ rei litterariæ RESTAURATOREM, ARCHIATRORUM SUORUM COMITEM, IMMORTALEM L. B. VAN SWIETEN, cujus fidei, doctrinæ, atque consummatiſſimæ experientiæ, & SUAM, & AUGUSTÆ SUÆ PROGENIEI, & populorum ſuorum vitam, ſanitatemque in eminenti quodam gradu credidit, conſuluit, intelligere ſane debuit: quam ſint cryptæ hujus urbis (LXXXVI.) prope totæ infarctæ cadaveribus, quæ tumbis, leviore potiſſimum, humido, recenti, & facile putreſcibili ex ligno confectis, ibidem adſervantur: quam promiſcue illorum etiam corpora, qui morbis putridis, exanthematicis, contagioſis, ulceribus, & cancris fœtidiſſimis extincti ſunt, iisdem intra mœnia ſepulcris inferantur: quam teter ex illis ampliſſimis cavernis halitus, ſepulcrali lapide amoto, prorumpat, qui non ſolum præſentium nares graviſſime feriat, ſed faces etiam ingredientium veſpillonum iteratis vicibus extinguat. Intelligere, inquam, debuit communis ſalutis noſtræ ſtudioſiſſima PRINCEPS, ſpiracula illa, quæ olim ſecus templi Metropolitani parietes exteriores aquilonem, & meridiem verſus ducta conſpiciuntur, haud ſufficere, quin tempore, maxime verno, & æſtivo, ni nocturnis horis feneſtræ, & portæ templi interiores ad eventilandum aërem putridum non nihil pateant, graveolentem putorem percipiant omnes, ſed illi præſertim, qui matutino tempore Eccleſiam ingrediuntur.

Quem-

Quemadmodum enim a somno sensus omnes, uberiore succi nervosi copia irrigati, ad percipiendum magis vigent, ita & olfactus organum fœtore, si quis adest, gravius feritur. Sed non de Metropolitana solum Ecclesia hæc dici possunt. In aliis etiam templis, in quorum cryptis cadavera crebrius deponuntur, idem odor, tametsi forte non ita sensibiliter, observatur.

§. CIII.

Sane, nisi hæc omnia essent verissima, si e sepulcris, & templorum fornicibus nihil tetri, nihil perniciosi (CII.) ad vivos exhalaret, ob quam aliam rationem mos ille, majorum nostrorum sepulcreta, & cryptas quotannis primo Novembris biduo aperiendi, ante annos jam plures publico interdicto sublatus fuit? Animadversum est scilicet liberiorem hac data porta exitum tetris, ac nocivis halitibus concedi, multisque eorum, qui vel pietate, vel curiositate ducti, propius accessissent, vel plane descendissent, gravia nervorum mala: motum febrilem, dolores capitis diuturnos, vertiginem, Leipothymiam, ventriculi subversiones, nauseas, vomituritiones accidisse, immo gravidas, convulsione, & vario spasmorum genere correptas, abortus periculum incurrisse. Sed hæc quidem in vulgum nota evenerunt. Quot autem morbi maligni, pertinacissimi, symptomatibus anomalis, gravissimis stipati, morte sæpenume-

ro terminati illo tempore ab his ipſis venenatiſſimis halitibus, tanquam a prima radice, propullularint, ſoli erant Medici, qui indagare, & poſteritati tranſcribere potuiſſent. At vero, proh dolor! majores noſtri de noxis cadaveroſæ exhalationis aut raro, aut non ſerio cogitaviſſe videntur. Id ſi feciſſent, næ nos jam pridem numeroſos triſtiſſimorum eventuum catalogos, ſed jam ſimul etiam nulla intra civitatem ſepulcra haberemus!

§. CIV.

Dices: noſtra ſaltem ætate, qua, abolita illa conſuetudine (CIII.), ſepulcra, & fornices templorum ſubterranei non niſi pro neceſſitate aperiuntur, haud adeo nobis eſſe a cadaveroſis illis halitibus timendum: neque citra hanc viſendarum cryptarum libertatem noſtra, & majorum noſtrorum memoria conſtare ex promiſcua defunctorum intra urbem, intra templorum parietes ſepultura Viennenſibus inſigne aliquod ſanitatis detrimentum acceſſiſſe, quod neceſſario jam pridem, & frequentius contingere debuiſſet, ſi, quæ de illius damnis ſcripta ſunt, veritate niterentur. His quidem, qui ita objiciunt, primo illud reſpondemus: Etſi illa cryptarum annua apertura ſublata fuerit, adeo tamen hodie earum videndarum licentiam abſciſſam non eſſe, ut quotiescunque illæ præſente funere recluduntur, omni ſexui, atque ætati

non

non ſolum propius accedere, & adſtare, ſed deſcendere etiam, & diutius ibidem commorari permiſſum ſit. Deinde illud quoque libenter largimur, non ſemper, & ubique a ſepulcralibus exhalationibus oriri populares morbos; at vero quot tamen hinc inde ex hac ipſa cauſa quaſi ſporadice decumbunt ægri, veræ malorum originis ignari? Demum, ſi etiam omnibus domeſticis illis argumentis (C—CII. CIII.) nihil prorſus veri ineſſet, tamen cum nulla res magis vitæ, & conſervationi corporis infenſa ſit, quod toties inculcavit Ill. FRIDERICUS HOFFMANNUS (*s*), quam putredo, utpote, quæ non ſolum fluidorum mixtionem, ſed & vires motrices ſolidorum deſtruit, & ipſas nervorum origenes inquinare videtur; non poteſt non ſenſim craſis illorum naturalis immutari, & perverti, nervorumque ſuccus omnis in ſuis colatoriis præcipue contaminari, quando tot putridiſſima effluvia perpetuo cum ſaliva in ventriculum deſcendunt, atque a venis abſorbentibus pulmonis, totiusque ſuperficiei corporis ſuguntur. Quo tandem fit, ut morbi forte ſupervenientes, licet ſua ceteroquin natura haud lethiferi futuri, quia liquida jam infecta, & corpus manifeſta, mortalitatis ſemina in ſuis penetralibus jam complectens, offendunt, nullam prorſus, aut nonniſi difficillimam ſanationem admittant.

(*s*) Med. Syſtem. T. II. P. I. c. 5. §. 6. & P. III. c. 3. §. 26. Vide & ejus Diff. de Putredinis Doctrina.

§. CV.

Sed liceat hoc ipſum (CIV.) exemplis illuſtrare. Duo fratres, qui pari ab incunabulis, optimaque ſanitate gaudebant, ex eodem, ſed leviore, in ſex rebus non naturalibus errore, pone, e ſubito poſt validius corporis exercitium refrigerio, & hinc ſuppreſſo perſpirabili Sanctoriano, febre corripiuntur. Sed unus horum ſæpius in templo ſupra exiguum cavernæ ſubterraneæ ſpiramentum ſtetit, & cadaveroſo infectus eſt halitu. Quam hic non ephemera, ſed febre continua, ſed ſynocho putrida, tardis, imperfectis criſibus judicanda, cum ingenti vitæ periculo laborabit! dum alter ſumpto potu diluente, leniter diaphoretico nycthemeri, vel paucorum dierum ſpatio convaleſcet. Da nobis infantes duos, quorum alter a nutrice ſua in templo, a magna hominum copia tepeſcente, per horam detentus, fracidas inſpiravit, deglutivit particulas, alter nondum in vita ſua interiores ſacrarum ædium parietes vidit. Ponamus hodie utrumque idem varioloſum miasma ſuſcepiſſe. An æque benignas utriusque fore variolas ſperabimus? Ecce! cujus tenerum corpuſculum putridiſſimo illo nidore, & nefando mortis ſemine imprægnatum fuit, ille peſſimo confluentium, gangrænoſarum variolarum genere, nulli curandi methodo auſcultante, rapitur, alter facile, & propemodum ſine adminiculis evadit. Ita ire per plurima morborum genera poſſemus, qui

ab

ab hac præcipue labe malignitatis characterem ſortiuntur. Sed hæc ſufficiant.

§. CVI.

Verum cur obſcuris adeo argumentis (CIV. CV.) utimur? Non equidem obſcura hæc ſunt, medicis, & eruditis cauſarum indagatoribus, ſed pinguis Minervæ filiis. Cum his itaque, ſupereſt, ut clariore in luce confligamus. Edicite, nunquamne aſſiduas medicorum omnium querelas audiviſtis, crebro hac ætate recidivas ægros pati, & illos quidem certiſſime, qui contra ſalutare conſilium mature nimis templa, cadaveroſis plena exhalationibus, ingrediuntur? Si vero putridæ hæ particulæ, cum ſaliva, cum aëre, aut quibuscunque viis intra corpus ſuſceptæ, revocare morbos, nuper expugnatos, poſſunt, quidni & robuſta, & ſanitate plena corpora ſaltem diſponere ad ægritudinem poterunt, quæ ubi poſtea, quacunque cauſa accedente, excitata fuerit, maligniſſima, & lethalis futura ſit.

§. CVII.

Immo vero an hæc mala (CVI.) ſolum metuimus? An non jam hodie experimur? An non febres malignæ putridiſſimæ frequenter hoc tempore per urbem, per ſuburbia graſſantur? Non eſt, inquies, cadaveroſa exhalatio, cui hos morbos adſcribamus. Non eſt ſane hæc ſola, ac in-

individua, ſed certe apud non paucos præcipua (CIV. CV. CVI.). Profecto ſi ſanus ægro accumbens ſenſim inficitur, & ejusdem particeps ægritudinis fit; ſi tenellos infantes, qui a vetulis, pravos humores ſecernentibus, expirantibus, aluntur, geſtantur, paſſim ægrotare, & perpetuo præcipue, quantum ex ſignis colligere licet, capitis dolore affligi experimur, qui mox melius habere, vigorari incipiunt, quamprimum juvenculis, vegetis ancillis committuntur; quam lugubres effectus a cadaveroſo halitu, tenella cumprimis corpuſcula, ſæpius alluente, expectandi non ſunt? Et demum, ſi ab aëre paludum, & aquarum diutius ſtagnantium effluviis (IV. V. VI.) gravido, ſi ab inedia, ſi a carnium ſemicorruptarum eſu, ſi ab his ipſis, in primis viis ob ventriculi, inteſtinorumque debilitatem putreſcentibus, Synochos putres oriri omnes facile admittant; quis omni adeo orbus eſt ratiocinandi facultate, ut cadaveroſis halitibus, quacunque corruptione deterioribus, ceu veræ, & completæ putredini, eandem ſaltem nocendi vim non concedat? Utique illæ ipſæ, quas jamjam tetigimus, cauſæ ea ſolum ratione morbis putridis producendis favent, quatenus humores noſtros majore, minoreve putredinis labe contaminant. Si itaque hæc in confeſſo ſunt, quomodo cadaveroſorum halituum, qui quaſi viva, & mera, & abſoluta ſunt putredo, effectus negabuntur? Timent Medici, ne in febribus acutis, inflammatoriis humores inquilini, in tubum inte-

ſti-

ſtinalem perpetua ſecretione conflui, & fæces, a clauſa ano retentæ, computreſcant, morboque, infectis humoribus, malignitatem concilient; hoc illi timent, & ſolicite magna diluentium, acidorum quantitate ingeſta, repetitis clyſmatibus præcavent; & nos a putridiſſimis onuſta particulis atmóſphæra, ab his ipſis effluviis, intra corpus, intra ſanguinem ſuſceptis, non timebimus?

§. CVIII.

Sed demus, quod non frequentius manifeſtas adeo calamitates, mortes ſubitaneas (XCIX. C.), peſtes (XCV. XCVI. XVII.) a mortuorum putrilagine experiamur, id certe haud noſtris curis, ſed lætiſſimis, lateque patentibus campis, ventisque, crebro ſpiraculo atmoſphæram noſtram diffiantibus (XV.), debemus. Quo beneficio, a natura conceſſo, niſi frueremur, procul dubio jam pridem de puritate, auræ Viennenſi, quantum fieri poſſet, concilianda, cogitaviſſemus; ſed præcipue perpetua illa putridiſſimorum halituum ſeminaria, ſepulcra, & cavernæ templorum ſubterraneæ longe extra mœnia, & a viventium conſortio exularent. An autem adeo certi ſumus, fore, ut quovis deinceps anno, ut perpetuo ſua accurate, quibus ex votis noſtris ſpirent, tempora obſervent venti? Quid ſi contingeret, ut atmoſphæra noſtra verno cumprimis, aut æſtivo tempore diutius immota maneret? Quam immenſis illa, quam fœtidis, quam

pe-

peſtiferis effluviis (IV—XII.), ſed præcipue animalibus (XI—XXI.), cadaveroſis, fracidis, fœtidiſſimis (XXV—LXXXVI—CII.) oneraretur? An tunc etiam hæc ipſa, quam impugnamus, promiſcuæ ſepulturæ negligentiſſima, peſſimaque conſuetudo (CII.) toleraretur? Vel an non ſaltem illud impetraremus, ut defunctorum corpora, licet quidem intra urbem, & in templis, at illo ſaltem, qui putridæ diſſolutioni quam maxime oppoſitus ſit, modo conderentur, illorum vero cadavera, qui morbis putridis, malignis, exanthematicis obirent, procul a viventium contubernio humarentur?

§. CIX.

Sed quis ille putredini quam maxime oppoſitus (CVIII.) ſepeliendi modus? Cur putridis, & exanthematicis morbis extincti curatius ſepeliendi? An non eadem omnium cadaverum diſſolutio? An diverſa, & magis una præ alia metuenda mephitis? Videamus. Atque modum quidem illum quod attinet, de eo paulo inferius acturi ſumus. Quod autem cadavera eorum, qui dictis (CVIII.) morbis extinguuntur, pejores ceteris emittant, & contagioſos halitus, & ratio docet, & experientia confirmavit. Edicite, precamur, ſi ægrorum, putridis, malignis, exanthematicis morbis laborantium, effluvia adeo ſunt nociva, ut ſanos inficiant, occidant, quid de horum cadaveribus expectandum eſt, ex quibus

bus & illud individuum miasma, & putridus simul halitus expiratur? Sed haud amplius volatilia, & activa sunt in cadavere epidemica illa, & venenata miasmata. Id quidem quam maxime esset exoptandum. Sed quid vota juvant, dum experientia, tristissima licet, optima tamen rerum magistra, repugnat? Itane fixum, effœtum, & iners latet frigidis in cadaveribus malignissimum miasma, dum non admodum raro contingit, ut vespillones, ubi inter fodiendum vicinos sarcophagos febre putrida, exanthematica demortuorum ligone vel industria, vel per incuriam aperiunt; ut Chirurgi, talia corpora imprudenti vel ausu, vel imperio dissecantes, eodem prorsus morbo corripiantur? Quam in rem utinam! non etiam domestica exempla haberemus. Ecce! fæmina ex Bulka in Austria ante tres supra triginta annos, cum in affectatæ magiæ suspicionem incideret, Viennam deducta in carcere detinebatur; ubi febre, uti postea detectum est, putrida, maligna, exanthematica obiit. Hujus cadaver cum præsentibus præstantissimis Medicis HIRSCH, & KNOBLACH, a Judicio delegatis, celebres hujus urbis Chirurgi STRASSER, & HOELZEL examini, & cultro anatomico subjecissent, abdomen miliaribus albis refertum conspexerunt, sed simul & Chirurgi ambo, & duo illorum tyrones, pessimo infecti contagio, brevi posthac gravissime decubuerunt. Atque æstumatissimi quidem STRASSERI mortem universa pene civitas ingen-

te

te luctu prosecuta est; duo ægerrime evaserunt; unus e tyronibus in Nosocomium suburbanum translatus, an convaluerit, ignoratur (*t*). Recentiora desideras? Itane non ita pridem, referente expertissimo hujus urbis medico PUSWALD, ex puero, confluentibus, malignis variolis extincto, tetrum exhalare virus potuit, ut tenella soror, in eodem, in quo mortui fratris cadaver jacebat, cubiculo detenta, eodem quoque variolarum genere corriperetur? Sed quid pluribus opus argumentis, quandoquidem unicum sufficit, quod veritatem demonstret? Illud unicum adjiciamus: quotiescunque malignæ, pestilentiales epidemiæ grassatæ sunt, semper & Medicos suasisse, & urbium, provinciarumque Præsides præcepisse, ut mortuorum corpora extra templa, civitatesque humarentur. Ita anno 1721 in Gallia factum reperimus (*u*). Sed & idem hoc tempore Pragæ in Bohemia observatur. Id quem alium in finem, quam ne vivi a mortuis pari morbo inficerentur? Felicem illam civitatem, quæ hanc necessitatem non experitur!

§. CX.

At vero ventosa est Austria, montibus fructiferis, sylvis, & nemoribus interstincta, quæmo-

(*t*) Retulit Expertissimus Doctor HIRSCH.
(*u*) Gazette salutaire année 1761. n. 9. 10.

omnia & maximo Europæ fluvio (V.), & rivis innumeris, limpidiſſimis irrigantur: Hæc certe mutuas ſibi manus porrigentia epidemicis, contagioſis, peſtilentialibus morbis averruncandis ſufficiunt. Quidquod, ſi ubique, circum templum tamen Divi Stephani nunquam tranquilla ſit atmoſphæra, ſed perpetuo ventiletur? Verum enim vero cujus eſt vox iſta? Adeone quispiam in hac urbe peregrinus eſſe, & hoſpes poteſt, ut tritum illud ignoret: Auſtriam aut ventoſam eſſe, aut venenoſam? An nunquam Vindobonæ incolas uno ore lamentantes audivimus, quotiescunque accidit, ut paulo diutius ſaluberrimo ventorum flamine careremus? An adeo cito animis noſtris excidit æſtas anni 1770, qua atmoſphæram hanc noſtram venti & raro, & debili ſpiraculo commovebant? Quam nulli fere venti anni proxime præterlapſi autumno flabant? Quid ſi hanc ipſam cauſam inter remotiores principem aſſereremus fuiſſe, cur anno præterito tantam Viennæ ægrorum copiam habuerimus, & etiamnum habeamus? Quid quod atmoſphæra, nullis diu ventis difflata, uti ſenes retulerunt, quemadmodum forte antiquiores, ita binas illas peſtes (XCVI.) præcipua quadam ratione foverit, auxerit, ſuſtinuerit? An autem nos adeo futuri ſumus præ majoribus noſtris felices, ut Æolos in antris concluſos teneamus, qui portis, quoties viſum fuerit, apertis evolent, mortiferis plenam aculeis auram expurgaturi? Illam vero templi Metropolitani ventilationem quod

attinet, hac quidem aura ædificii exterior difflatur, nequaquam vero crypta ipsa, & templi interiora. Neque præterea perpetua est hæc ventilatio, sed frequentior solum, nec semper sufficiens. Et quid denique de reliquis templis dicemus? Verum alioquin, urgebit aliquis, cadavera, cryptis templorum, si nimium repletæ sint, clanculum, & nocturnis horis exempta, in suburbana cœmeteria transferuntur. Ita sane: & hoc ipsum est, quod magnopere vituperamus. Quanta enim, dum corpora, putri tabo diffluentia, eruuntur, agitantur, abominandi, atque teterrimi putoris quantitas in auras attollitur? Itane licitum sit illo ipso tempore, quo putridissima sentina evehitur, mortalitatis semina inter vivos spargere? Si transferenda sunt extra urbem cadavera, recentissima transferantur. Istam enim cryptarum aperturam, & cadaverum, inde erutorum, translationem gravissimis viventium malis infamem extitisse non semel compertum est. Cum (*w*) Parisiis in templo S. Eustachii subterraneas extruere cavernas decrevissent, cadavera omnia, intra Ecclesiæ parietes sepulta, eruerunt, & retro æditorum subsellium negligenter condiderunt; illa vero corpora, quæ hoc ipso, quo cryptæ ædificabantur, tempore allata in Ecclesia sepeliri non poterant, cavernæ, sub ossuariis sitæ, & a longis-

(*w*) Memoires de l'Academie Royale des Sciences, pag. 121. année 1749.

gissimo hactenus ævo occlusæ, commiserunt. Veram ecce! nonis Martiis 1749 plurima pars infantum, qui in ossuariis catechesi intererant, eodem prope momento male habere, debilitatem sentire cœpit. Atque ut quidem a Cl. Ferret, Parœciæ Medico, relatum est, ægri isti, rationis usu amisso, faciem rubicundam exhibuerunt, simul motibus circum præcordia violentis, tum brachiorum, crurumque convulsione agitabantur, & posteaquam mente rursum constitissent, de ventriculi dolore, fauciumque constrictione, quæ respirationem quoque impediret, conquesti sunt. Sed & proxima die dominica eodem & loco, & tempore viginti infantes eodem mali genere sunt correpti: quid quod paulò post plures provectæ etiam ætatis homines, ossuariis vicini, iisdem fere symptomatibus tentari occeperint? Inter alios vero puella, & protinus mulier alia elingues in terram collapsæ, & vultum rubore suffusæ, fauces spasmo præclusas, respirationemque impeditam habere, & ceteris, quæ mox enarrata sunt, symptomatibus affligi videbantur. Huc & ille pertinet eventus, qui eodem anno septimana proxime sequente in Gallia (x) contigit. Cum duo religiosarum ejusdem S. Genevevæ ordinis Virginum conventus unirentur, sublati conventus territorium, erutis cadaveribus, redemptori cuidam fabricæ vittarum locatum fuit. Quæ ad confi-

(x) Loco citato.

ciendas vittas conductæ fuerunt juvenes puellæ, ad unam fere omnes ægrotabant. Symptomata tamen morbi erant mitiora, quam ad Ecclesiam S. Eustachii; sed illud imprimis notatu dignum fuit, in hoc, de quo nunc sermo est, loco infantes solum, & mulieres a cadaverosis halitibus noxam accepisse, masculos provectioris paulo ætatis, & viros immunes mansisse. An ex his ipsis exemplis non evidenter conficitur, quam sit non solum ista in templis sepeliendi consuetudo, sed etiam hæc ipsa cadaverum e cryptis, & sepulcretis exemptio viventibus perniciosa?

§. CXI.

Sed demum eripite nobis, si potestis, omnia, quæ hactenus (XC—CX.) attulimus, argumenta, illud certe eripere non poteritis: cadaverum effluvia, intra corpus suscepta, instar lenti saltem, & subdoli veneni naturam nostram labefactare, ac pedetentim destruere, adeoque longævitati quam maxime adversari, quemadmodum THOM. PHILOLOGUS RAVENNAS (LXXXVII.) demonstravit, & obstupuit a recentioribus rem probari, & permitti, quam prudentiores apud veteres severissimis legibus prohibuerunt. Sed hoc idem ex illis etiam luculenter deducitur, quæ (CIV.) dicta sunt.

§. CXII.

Exulent itaque mortui a civitate, ut civium sanitas & vita tutior sit (XCVIII—CX.), & du-

durabilior (CIV. CXI.). Interea, quemadmodum illæ ipſæ gentes, quæ legem de non ſepeliendis intra mœnia cadaveribus obſervaverunt (LXVII. LXVIII. LXX.), Legislatorum tamen, Regum, Principum, vitæ ſanctimonia illuſtrium, & de republica optime meritorum majorem ſemper rationem habuerunt (LXXVII. LXXX. LXXXII.), ita a nobis quoque longe abſit, ut omnem prorſus intra urbem ſepulturam prohibendam cenſeamus. Æquum, & pium eſt Principes, Epiſcopos, Præſules, Sacerdotes, Cives & morum integritate, & immortalibus in rempublicam meritis inſignes, nobiliore poſt mortem loco honorari.

§. CXIII.

Sed cum nec hi (CXII.) ſua nobis aliquando corruptela nocere deſiderent, eo ſaltem, quo fieri poteſt, optimo modo ſepeliantur. Modus autem optimus in eo conſiſtit, ut omnis aëris liberi ad cadavera acceſſus impediatur. Sicut enim aër atmoſphæricus, intra minutiſſimas vegetabilium particulas aquoſi vehiculi beneficio ſeſe inſinuans, calore expanditur, & intimorum nexuum reſolutionem inchoat, quo poſito aër fixus libertate potiri, extricari incipit, inque ipſa ſuis e carceribus fuga elaſticus fit, & mox majore donatus volumine continuata partium, quam aër atmoſphæricus inchoavit, reſolutione erumpit, fermentationemque abſolvit; ita prorſus motus ille inteſtinus, quo animalia in putri-

 dum

dum liquamen dissolvuntur, non excitabitur, nisi pariter aër externus elasticus, intra poros delatus, nexuum resolutionem ordiatur. Arcebitur autem aër a cadaveribus, si hæc vel odoramentis more aut Ægyptio, aut Judaico, vel cera Assyriorum, aliorumque ritu circumlita (XXXIX. XLVIII.), vel saltem in capulis, e ligno durissimo, æreve confectis, duplicibus, ceratis, picatisve conclusa, atque distinctis tandem cryptarum loculis reposita, cœmento, nunquam amplius, vel nonnisi post longissimum temporis intervallum amovendo, obducantur. Sic autem corpora immutata conservabuntur potius, quam putrescent; vel si propter illum aërem, qui cum ipsis intra capulos concluditur, nihilominus computrescent, aut humiditate macerata dissolventur, saltem illud obtinebimus, ut nulli ad vivos, vel si aliqui, certe paucissimi, & longe minus perniciosi, halitus ascendant.

§. CXIV.

Cum vero hic ipse sepeliendi modus (CXIII.) non nisi paucioribus in rep. & debitus (CXIII.), & congruus sit (XLIX.), simplex vero humatio (XLI.), quam solam multitudini convenientissimam demonstravimus (LI.), si intra mœnia, & in cryptis templorum (LXXXII. LXXXIV. LXXXVI.) concedatur, gravissimorum malorum origo existat (XCVIII—CXI.), consequens est, ut reliqui omnes extra urbem, & extra subterraneos sacrarum ædium fornices tumulentur.

§. CXV.

§. CXV.

Quanquam vero morem promiſcuæ intra civitates, & in templis ſepulturæ peſſimum eſſe, & ſanitati, vitæ, longævitati civium periculoſiſſimum (CXI.) oſtendiſſe ſufficeret, & Magiſtratui fido illi civium Parenti, & ſalutis Principum jurato Cuſtodi incumbat, quid facto opus ſit, cogitare, atque decidere, tamen pauca de meliore humandi extra urbem & loco, & modo ſubjungemus.

§. CXVI.

Locum quod attinet, erigantur cœmeteria & plura, & ampla non ſolum extra urbem, ſed etiam extra ſuburbia — quæ enim rationis diſparitas? — in locis ſiccis, arenoſis, aëri libero undique expoſitis, & quæ crebrius ab omnibus ventis cardinalibus perflantur. Quæ vero circum Viennam loca huic ſcopo aptiſſima ſint, Viris expertiſſimis dijudicandum relinquimus.

§. CXVII.

Modum autem quod concernit, cadavera primo profunde infra terram demergantur; deinde cavendum ſedulo, ne, dum novæ quotidie pro cadaveribus recens allatis foſſæ fiunt, nimis cito ad priores tumulos ordo redeat; contingeret enim non infrequenter, ut corpora fere integra, vel ſemicorrupta refoderentur; id vero quam eſſet non ſolum viſu fœdum, ſed fœtore etiam abominandum?

§. CXVIII.

Demum ut omnia in eundem SALUBRIS SEPULTURÆ (CXIII. CXVI. CXVII.) finem (LI. LXXIII.) conſpirent, omneque detrimentum, a putrido, & cadaveroſo halitu metuendum, avertatur (XXVIII.), primo abſurdum illum Græcorum hac etiam in urbe morem (XXIV.) abolendum; deinde ſerio invigilandum cenſemus, ut eorum corpora, qui morbis putridis, malignis, exanthematicis, contagioſis moriuntur, ſin minus illa mox a morte in communia extra civitatem cœmeteria (CXVI.) transferre liceat, domi ſaltem mature capulis picatis concluſa, quantum fieri poteſt, a vivorum conſortio ſeparentur. Quid ſi ægros ipſos, ejusmodi morbis correptos, mature a ceterorum ſocietate amoveremus? Atque ſic quidem opus noſtrum ad finem deduximus. Quid jam ſupereſt, quam ut non ſolum ceteras, quas AUGUSTISSIMA MARIA THERESIA noſtræ omnium felicitati conſecrat, curas, ſed hanc etiam de introducenda SALUBRI SEPULTURA ſolicitudinem (LXXXVIII. CII.) veneremur, & ea, quæ ſubditos decet, obedientia, promptiſſimoque conſenſu ſecundemus?

Errata corrige.

Pag. 8 impetitu — impetu pag. 11 nt — ut pag. 25 adpiſcienti — adſpicienti pag. 57 Archillis — Achillis pag. 68 incipe-rent. — inciperent; pag. 75 Aſcanico — Aſcanio pag. 86 pro — proh pag. 88 tella — tela pag. 95 1712 — 1713 pag. 97 exolutionem — exſolutionem pag. 105 Origenes — Origines pag. 111 Exanimi — examini.